AUTHOR:

MAAG, ALBERT

TITLE:

DE IBIDIS OVIDIANAE CODICIBUS...

PLACE:

BERNAE

DATE:

1885

Master Negative #

93-81321-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Maag, Albert, 1862-
De Ibidis Ovidianae codicibus; dissertatio philologica quam... scripsit Albertus Maag...
Bernae, typis expressit R. F. Haller-Goldschach, 1885.
64 p. 23 cm.


Thesis, Bern.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/23/93 INITIALS: BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









DE

IBIDIS OVIDIANAE CODICIBUS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

IN UNIVERSITATE BERNENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

ALBERTUS MAAG

BUELACENSIS



BERNÆ

TYPIS EXPRESSIT R. F. HALLER-GOLDSCHACH

MDCCCLXXXV

ARGUMENTUM

I. DE CARMINIS CODICIBUS

II. DE SCHOLIORUM CODICIBUS

DE

IBIDIS OVIDIANAE CODICIBUS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

IN UNIVERSITATE BERNENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

ALBERTUS MAAG

BUELACENSIS

BERNÆ

TYPIS EXPRESSIT R. F. HALLER-GOLDSCHACH

MDCCCLXXXV

ARGUMENTUM

I. DE CARMINIS CODICIBUS

II. DE SCHOLIORUM CODICIBUS

DE

IBIDIS OVIDIANAE CODICIBUS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

IN UNIVERSITATE BERNENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

ALBERTUS MAAG

BUELACENSIS



BERNÆ

TYPIS EXPRESSIT R. F. HALLER-GOLDSCHACH

MDCCCLXXXV

Quod ad Ouidii Nasonis Ibin maxime tractandam aggressus sum, primo loco hoc praemoneatur, me haud ignarum esse difficultatis, quae in tractanda tali materia plus minus ad artem criticam, totius philologiae firmamentum fundamentumque pertinente, inest, cum praesertim de uiri non nihili aestimandi bene meritis iudicare au surus sim. Tamen fateor, me non minus dulcedine quadam huius amplissimae re rum philologicarum disciplinae, quam rei noui tate arreptum esse, philologica enim dissertatio, ut hanc barbarissimam uocem consuetudinis gratia seruem, non in hoc posita esse debet ut aliorum tantummodo sententias contrarias perpendas, sed ut in lucem prodas ea, quæ ex ipsius tuo ingenio emanauerint.

Sed mediam in rem introeamus! Ac primum quidem omnium quotcumque Ibidis codices exstant, quin Vindobonensis sit optimus ac solus non interpolatus, nemo eorum, qui unquam usque ad annum MDCCCLXXXI hoc carmen edendum curauerunt, dubitauit, donec Ellisius nouis codicibus usus maiorem suis auctoritatem et fidem tribuendam esse contendit.

Itaque priore disputationis parte mihi anquirendum erit, quæ sit inter hos carminis codices ipsos et cum ueteribus collatos mutua ratio, altera de scholiorum eadem ratione agam.

I. DE CARMINIS CODICIBUS.

1. DE IV CODICUM ELLISIANORUM ARCHETYPO.

Quattuor codices, quos maxime hic uir doctus usurpauit, hi sunt: [1])

Galeanus 213 G, quem circa 1180 descriptum esse Coxius ei testis est; est in bibliotheca Collegii Sanctae Trinitatis apud Cantabrigienses.

Turonensis 879 T, Ibin post Epistulas ex Ponto continens; secundum Ellisium circa 1200 descriptus esse uidetur.

Philippicus 1796 P, ab ipso primo Cheltoniæ collatus.

Parisinus 7994 X. [2])

Horum codicum Ellisius Galeanum præstantissimum esse atque etiam Vindobonensi praestare putat. Sed priusquam ad hanc quaestionem soluendam aggrediar, uideamus, quo usque hi quattuor codices inter se cognati sint, qua disputatiunculae meæ parte me demonstraturum esse spero, utrum recte Galeanus primo loco sit ponendus necne. Hanc rem ita tractabo ut seruatis literis, quibus Ellisius codices suos signauit, nonnulla exempla errorum et uariarum lectionum et proprietatis scribendi apponam.

errores ad singulas literas spectantes idem insunt

v. 148	longinq*us* uiscera piscis	G T X
v. 236	i*m*posuere caput	G P T X
v. 311	inque *pi*ram	G P T
v. 323	laris*se*us [alii lari*se*us, cet.]	G P T X
v. 370	mirth*œ*	G T X
v. 443	uora*g*ine ceni [uoramine T]	G P T

[1]) In posteris sequar collationes, quas Ellisius se ipsum fecisse dicit.

[2]) Hunc codicem in nouorum ordine posui, sed uide, quid infra memoraturus sim.

v. 478	*t*raso	G P T X
v. 502	*paphagee*	G T X
v. 531	*licofora*	G P X

Sed praeter hos tot consensus uide [id quod breuissima uia demonstrari potest], quantopere et quam dilucide hi codices aut soli aut solis Vaticano, Harleiano, Sloanensi sociis eandem et ab aliorum ueterumque codicum diuersam lectionem praebeant:

v. 85	carmina . . . dira can*u*ntur [alii: canentur, can*a*ntur]	G P X
v. 248	*dent modo dii* [alii: *di modo dent*]	G P T X
v. 265	qualis et *ipse* fuit	P T X
v. 271	*et* duo Phinidæ	G P T
v. 372	dum *capta* est	G P X
v. 404	*Temporibus*	G P T X
v. 411	*uidit leto* [pro *leto uidit*]	G P T X
v. 413	meritis *iustis* mea [alii: meritis *precibus* mea, meritis *iustissima* in edit. Bonon.][1])	G P T X
v. 447	frater*que* Medusae	G P X
v. 509	puppis *ad undas* [alii: *harenas*, sim.]	G P T X
v. 537	paelex inuita *sorori*	G P X
v. 539	ut tard*us*	G P T X
v. 587	*uacuum*	G P T
v. 615	obstr*ictus*que	G P T
v. 619	pro crimine *ficto* [alii *falso*, quo ut glossa exquisitius *ficto* eiectum esse uidetur]	G P T X

His igitur exemplis nisus, quorum numerus sine ullo negotio augeri potest, asseuero,

Omnes illos quattuor codices, quos usurpauit Ellisius, ab eodem archetypo oriri.

2. De LECTIONIBUS GALEANO AB ELLISIO PECULIARIBUS DICTIS.

Ut supra dixi, Galeanus ab Ellisio omnium codicum optimus iudicatur. Ita iudicans eo maxime niti uidetur ut demonstret,

[1]) Minime probanda est coniectura, quam Ellisius in textum suum recepit *mentis iustissima:* uerum duco *meritis precibus mea*, respiciens v. 96:

Qui scit [Ibis] se factis *has meruisse preces.*

quot lectiones inueniantur, quas eum sibi peculiares habere docet, quod dicens sine dubio illud alterum dicit, harum nullam in aliis exstare, et, quoniam non solum in suos codices, sed etiam omnes alios mentem intendit [dicit enim: „estque aut optimus aut cui solus T aequiperetur“], inde argumentum si non refellendi [de hoc infra], tamen uituperandi me deducere posse arbitror. Hoc enim imprimis mihi demonstrare in animo est, neque tot noua codicem nobis offerre, quamuis non modo omnium, quos in usum uocauit, optimus, sed etiam melior illis declaretur, quos adhuc omnes, quicumque Ouidii Ibidi interpretandae et emendandæ operam nauauerunt, Merkelium et Riesium maxime dico, praestantes habuerunt; deinde demonstrabo, neque Ellisium suo ipsius iudicio in edenda Ibide fidem habuisse mihi uideri.

Nam, ut ad priorem rem accedam, conferens cognoui, ex omnibus illis lectionibus, sunt octo et quinquaginta, nisi fallor, multas in multis ueterum codicum inueniri. Sed, quoniam quaestio nostra maximam partem ad hoc demonstrandum redit, operae pretium est, eas omnes enumerare, praesertim cum Ellisius dicat: „Haec cum G aut solus aut cum uno alio, quod rarum, habeat, uidetur singularem locum uel potius speciem obtinere.“ Ex his igitur locis comparatis cognoueris, quantus sit numerus lectionum earum, quae in Galeano solo, non in ueteribus libris, exstent:

SCRIPTURAE EXSTANTES

	IN GALEANO:	IN VETERIBUS CODICIBUS:
v. 16	non patitur *uiui* funera	Polit. duo (?), Vat. unus[1])
v. 24	inopes *non sinit* esse *l'orbe*	Moretanus, unus Polit.
v. 74	quo prius *ore* micas	Petau. membr. [idem correctum habet], Pet. chart., Tolos.
v. 129	certe ego quae *mo*ueo superos motura putabo [Gal. me̊ueo]	Moretanus
v. 173	diuersa *uocabere* campis	Moretanus.
v. 174	*impia* turba	duo Berol., unus Med.
v. 191	cui cred*as*	Reg. chart.

[1]) Tota disputatione mea, ubicumque ueterum codicum lectiones laudo, Merkelii collationes seu ab ipso seu ipsius rogatu factas sequor.

v. 210	*leuisue* fuit	Moret., Berol. membr., Cl. Sarr. membr.
v. 296	*uerberet* marg. l'*uulneret*	Merkelius [fons non indicatur].
v. 316	deuoret *ossa*	Berol. membr.
v. 345	driranti*a* de	complures [dryant.].
v. 552	*frigii*	Pet. membr., Pet. chart., Bersmann., Reg., Berol. chart. duo [*Phrygii*].
v. 593	super*abis*	Berol. membr.

Haec exempla, quae, nisi alia me fugerunt, omnia apposui, satis nos docent:

a) librum Galeanum permultis locis iisque saepe grauissimis, ubi alii codices ualde inter se differunt, mirum in modum consentire cum nonnullis eisque, quos supra annotaui.

b) inter hos codices fere numquam eos inueniri, quos Ellisius secundo loco sibi praesidio fuisse dicit, Vindobonensem, Vaticanum, Mutinensem, Holkhamicum, Parisiensem, Francofortanum, sed omnes alios esse, quorum Ellisium nusquam mentionem facere uidi.

Sequitur, Ellisium multos eosque, ut uidimus, haud spernendos ueteres codices praetermisisse.

Hoc igitur me probauisse spero, Galeanum quamuis meliorem non tantopere ueteribus libris pro proprietate scripturarum praestare quantopere praedicat Ellisius. Sed de Galeani genere infra separatim agetur.

Deinde unum, quod mihi quidem nemo explicabit, reticere non possum; qui enim fit, quaero, quod Ellisius LIX locos laudare operae pretium esse putauit, quos codicem Galeanum sibi peculiares habere, e quibus praestantiam codicis demonstrari censuit uel potius censet, nihilo minus perpaucos in textum suum recepit, contra persaepe aliorum Galeano inferiorum lectiones praetulit? Ex omnibus enim Galeani lectionibus hasce recepit: v. 30 *qua*, quod, ut in transcursu commoneam, iam Merkelius[1]) restituit, 139 *Tecum bella geram*, 210 *leuisue*, 211 *illuxit*,

[1]) Merkelius nullum e codicibus Ellisianis exhibuisse uidetur nisi Vindob., Francof., fortasse Vaticanum quoque n. 1602 sign.; equidem nescio an iste codex in eorum numero ponendus sit, quos „duos Vaticanos Heinsii“ uocat.

l'*infantia*,
229 *lactentia*, 285 *a summa*, 296 *uerberet*, marg. *uulneret*, 345 *driantia de*, septem alias.

Contra his locis omnibus, quod miror, alios codices, persaepe Merkelium [et Riesium] secutus, respicit: [1])

uersus	Ellisius	Galeanus	Codices alii et Editores quos sequitur Ellisius
7	*unus*	*huius*	omnes: unus
24	*noluit*	*non sinit*	Phil., Tur. *[uoluit* [2]]
48	*hasta*	*arma*	Petau. membr.
65	*facito Janique Kalendis*	*festo panique*	Merk., Ries
97	*rata uota mortales*	*mea uota*	Merk., Ries.
103	mortales *ferales* [Ell.]	*mortales*	Holkh.
120	*qui*	*et*	Merk., Ries.
123	*desit tibi*	*desit quoque*	Merk., Ries.
137	*mollia pabula* *[p. m.* habent Phil., Par.]	*mitia pabula*	Francof., Tur., Vindob., Deflor., alii, Atrebat. et Parisina
159	*nexaeque colubris*	*colubre*	Merk., Ries.
173	*fugabere*	*uocabere*	Merk., Ries.
174	*noxia*	*impia*	duo Berol., unus Med.
191	*tradas*	*credas*	Merk., Ries.
205	*Tot tibi uae misero uenient*	*Tot ue tibi uenient misero*	Merk., Ries.
264	*Sumptus Apollinea clarus*	*Clarus Apollinea sumptus*	Merk., Ries.
267	*per quos*	*postquam*	Merk., Ries.
311	*carissima*	*gratissima*	Merk., Ries.
410	*aspiciens*	*aspicias*	Francof., Tur.
437	*perylleo*	*perille tuo*	Paris.
476	*precor*	*prior*	Merk., Ries.

[1]) Per se patet, me omnes eas lectiones omittere, quibus in Gal. manifestus error scribendi inest.

[2]) *nisi me fallunt oculi* addit Ellisius; nonne pro *uoluit* recte legendum erat *noluit?*

486	*ille*	*ipse*	Merk., Ries.
538	*ante pedes*	*ante oculos*	Merk., Ries.
552	*Phrygium*	*frigii*	Vind. *[frigium]*.
593	*superaris*	*superabis*	Berol. membr., ed. Ald. prior.
606	*corpora pestiferum sic tua*	*sic tua pestiferum*	Merk., Ries.
621	*in Isidis* [uidetur esse coniectura Ellisii.]	*hospes Isidius*	
644	*et pede*	*sub pede*	Merk., Ries.

Quid hac tabula docemur? 1) Galeanum tot lectiones sibi peculiares non habere; 2) etiam si recte Ellisius hoc dixisset, tamen fere dimidium eum non recepisse; ut aliis uerbis utar, ostendi, Ellisium contraria dixisse, contraria fecisse, nam, quamquam permultae ueterum uel omnino aliorum librorum lectiones Galeano anteponendae fuerunt, tamen non debebat primarium suum adeo neglegere.

3. DE IV CODICUM ELLISIANORUM MUTUA RATIONE.

Jam eo deducor ut quaeram, cui inter hos IV codices principatus adiudicandus sit; quem ad finem ut perueniam, eam uiam ingrediar ut scripturas, quibus quamuis sibi persimiles tamen differunt, apponam.

v. 76. Quaeque ratum triplici pollice *netis* opus
netis Tur., *nectis* Gal., Par., Phil.-Tur. uerum seruauit.

v. 85. Carmina dum capiti male fido dira *canuntur*
canuntur Gal., Phil., Par., *canentur* Tur. Elucet, hic in tali conexu praesens tempus postulandum esse.

v. 135. Pugnabunt arcu dum Thraces, *Jazyges* hasta
iapiges Tur., *iapides* Gal., Par., *ypides* Phil.-primum ad uerum *iazyges* proxime accedit.

v. 142. *Exanguis* mores oderit umbra tuos
Exanguis Tur., *exanimis* Gal., Phil., Par.-Recte Ellisius laudat Met. IV, 443:

Errant *exangues* sine corpore et ossibus umbrae.

v. 221 sq.: Qui simul inpurae matris prolapsus ab *aluo*
Cinyphiam foedo corpore pressit humum, cet.

aluo Tur. et ed. omnes, *aluo est* Gal., Phil., Par.-Recte Tur. *est* omisit, nam post *humum* demum interpungendum est, ubi incipit enuntiatum maius [simul m. ab aluo prolapsus c. f. corpore humum pressit, iam tum, id est, ab initio bubo...]

v. 233. Membraque *uinxerunt* tinctis ferrugine pannis
uinxerunt Tur., *iunxerunt* Gal., Phil., *ūxerunt* Par., ineptius, primum omnes editiones receperunt.

v. 265. Qualis et *ille* fuit, quo praecipiente columba
Est data Palladiae praemia duxque rati.
ille Gal., *ipse* Phil., Tur., Par., manifesto errore.

v. 291 sq.: Utque parum mitis, sed non impune, Prometheus,
Aerias uolucres sanguine *fixus alas*
fixus alas Phil., Tur., *pasce tuo* Gal.-uide, quod dicit Merkelius: „sequeremur, si vel semel imperativo in his imprecationibus usus esset poeta.“ Optime. [1])

v. 316. Sic tua *subsidens* deuoret ossa cinis
subsidens, quod habent Tur., Phil., omnes editores receperunt, *succindens* Gal., *succedens* Par. — „scripturam receptam et eius interpretationem tuetur Valerius Maximus 9, 2, cinerem illum insidiosam congeriem appellans“ [Merk.]

v. 325. Utque Milo sub quo cruciata est *Pisa* tyranno
pisa Phil., Tur., *pysa* Par., *roma* Gal., cuius lectionem cuiuslibet librarii inscientiae imputare non dubito.

v. 361. *Neue magis pia sit capitique parentis* amica
Ita Gal., Phil., Tur., Par.: *Filia neue magis capiti sit fida parentis.* Hunc uersum corruptum esse omnes huc usque editores intellexerunt; „*fida capiti*, nisi fallor“, dicit Merkelius, „tam praue dicitur quam *pietas*, quae turpi obsequio et consuetudini ante memoratae opponitur, omittitur.“

v. 372. Dum *facta est* pomis tardior illa tribus
facta Tur.. *capta* Gal., Phil., Par. — *facta* iure omnes anteposuerunt, nam uerbis *frustra petiere* non est contrarium *dum capta est* sq., sed *spe capiendi petiere* uel tale quid; tribus enim pomis obiectis, quibus Atalante tardior *facta* est, spes petentibus oblata est, se eam esse capturos.

---

1) Haec uerba alio quoque consilio adductus attuli, ut demonstrarem, quam peruersa Ellisii coniectura sit ad v. 515 prolata:
Astacidaeque modo defixa cadauera *sunto.*

v. 375 sq.: Ut quorum Aeacides misit uiolentus in *altum*
Corpora cum senis altera sena *rogum*
altum Tur., *altis* Phil., Par., *artis* Gal.; item sequenti versu *rogum* Tur., *rogis* Gal., Phil., Par. Cf. Il. XXIII, 163:
ἐν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν ἀχνύμενοι κῆρ.

v. 387. Ut quos *demisit* uastam Polyphemus in aluum
dimisit Gal., Phil., Par., *demisit* Tur. — *dimittere* in aluum numquam ualere potest idem quod *demittere*, id est *deuorare*, quae notio hoc loco desideratur.

v. 410. aequoris *aspiciens* huius et huius aquas
aspiciens Tur., ed. omnes, *aspicias* Gal., *aspectes* Phil.-primum iure nemo non recepit.

v. 415. Qualis Achaemenides Sicula *desertus* in *Aetna*
ethna Tur., *ora* Gal., Phil., *hora* Par. Cf. Met. XIV, 160:
Desertum quondam mediis, en, rupibus *Aetnae*
Noscit Achaemeniden.

v. 426. Plenus inextincta *conficiare* fame
conficiare Gal., Phil., *confitiare* Par., *destituare* Tur.; equidem offendo in repetitione eiusdem uerbi [v. 420], itaque non assentior Merkelio censenti, non multum obesse quod idem uerbum sexto abhinc uersu legatur.

v. 427. Nec dapis humanae tibi *sint* fastidia
sint Gal., *erunt* Phil., Par., Tur.; optatiuus desideratur.

v. 443. *Aut eques* in medii mergare uoragine caeni
aut Gal., *atque* Phil., Par., *utque* Tur.; *utque eques* non minus quam *atque eques* ab Ouidio propter asperitatem dictum non esse censeo.

v. 461. Aut ut Cassandreus, *domino* non mitior illo
domino Gal., Tur.. *dominus* Phil., Par.; *domino* quin uerum sit, non est dubium, nam poetae non interest optare ne iste Ibis quem uocat mitior *dominus* sit quam Cassandrus, sed generaliter, ne mitior sit, ut idem patiatur.

v. 471 sq.: Ut soror Antonoes, ut cui matertera Maia,
Ut temere optatos qui male rexit equos.
Ut (472) Tur., *et* Gal., Phil., Par. — *ut* uerum esse uersus antecedentes indicant itemque sequentes:
Ut ferus Aeolides, *ut* sanguine natus eodem
Quo genita est liquidis quae caret Arctos aquis,
Ut Macelo rapidis icta est cum coniuge flammis,
Sic precor, sq.

v. 512. Stella Leoprepidae *cum* fuit aequa uiro

cui Tur., Par., *cum* Gal., Phil., quod ab omnibus receptum esse uidi.

v. 539. *Conditor* ut tardus Blaesus cognomine Cyrae

Conditor Tur., *cognitor* Gal., Phil., Par., quod nemo probauit.

v. 572. *Ictaque* pro solitis frugibus ossa sonent

ictaque Gal., edit. omnes, *iactaque* Phil., Thur. *ictaque* idem est quod *tritaque*, quo uerbo scholiastae explicantes utuntur; ossa in pila *icta* sonant, non *iacta*, quo in uerbo absolute posito praeterea offendimus. De Parisino Ellisius tacet.

v. 585. Utue soror Pelopis, saxo dureris *oborto*

oborto Tur., Par., uerum; *aborto* Gal., quod sensu caret; prauius *ab orto* Phil.

Inde haec efficiuntur:

I. **Turonensi et Galeano primus, Philippico et Parisino secundus locus assignandus est, tamen ita, ut non cum Ellisio Galeanum, sed Turonensem omnium qui nobis innotuerint codicum ducem habeam;**

II. **Parisinus et Philippicus partim cum Tur., partim cum Gal. faciunt: sunt igitur subsidio, ubicumque illorum alter nos reliquit, ita ut alterius lectionem confirment.**

De externa codicum specie uerba facere supersedeo, cum eam ad codicum aestimationem ut rem fere semper incertam aut nihili aut minimi habendam esse censeam. [1])

4. DE IV CODICUM ELLISIANORUM CUM VETERIBUS MUTUA RATIONE.

Haec hac tenus. Ad aliam quaestionem soluendam iam deuenio, ut simili uia atque antea anquiram, quae sit inter codices Ellisianos et ueteres mutua ratio statuenda.

Ac primum quidem, ut ad hanc disputatiunculam aggrediar, idem faciam quod supra assueueram: hic quoque eos locos apponere

[1]) Quod pertinet ad correcturas qualibet manu factas, hoc non probo quod Ellisius in apparatu critico suo plurimum non indicat, utri manui tribuendae sint, raro, ubi per se patet, addit, eas priore manu factas esse.

mihi in animo est, a quibus quaestio nostra, quae sit codicum affinitas, maxime mihi pendere uidetur, qua uia optime eo deducimur, ut certum aliquid efficiatur.

Antea uero omnes codices, quos e ueterum numero Ellisius respexisse, Merkelius neglexisse uidetur, enumerabo, deinde eos, qui ab omnibus usurpati sunt, postremo codices ab Ellisio neglectos indicabo. [1])

a. Nominantur codices ab Ellisio praeter notos respecti:

1. *Vaticanus* 1602 [2]), saec. XIV [Studem., apud Ellisium], *Vat.*
2. *Mutinensis* membr., saec. XV (Ell.) *M.*
3. *Holkhamicus*, saec. XIII [Ell.] *H.*
4. *Parmensis* H H X 27, chart., saec. XV, Ib. 1—372 continens [Ell.]. *Parm.*

Praeterea Ellisio haec minora instrumenta usui fuerunt:

5. *Canonicianus* 20.
6—7. *Philippici* 3360, 23620.
8. *Harleianus* 2538, 11972.
9. *Sloanensis* 777.
10. *Laurentiani.*
11. *Vaticani reg.*, 1801.
12. *Palat.* 1709.

Accedunt *Conradi de Mure Repertorium Vocabulorum* et *Deflorationes* [*Duacensis* 690, *Atrebat.* 65, *Parisina* 17903, *Brit. Mus.* 18459, *Bodleiana* 43, *Phil.* 1813, 1827].

b. Hi codices ab omnibus usurpati sunt:

1. *Vindobonensis* 885 membr., saec. XII uel XIII [Merk.] descriptus, a Mauritio Hauptio in Merkelii, Jos. Hauptio in Ellisii usum collatus. *V.*
2. *Francofurtanus*, secundum Heinsium XII saeculo circiter, Loersio iudice XIII, Riesio XIV uel XV saeculo descriptus. *F.*

c. Hos uero codices Ellisius, qui eorum ne semel quidem mentionem facit, omnes ad unum neglexit: [3])

1. *Incertum quendam*, quem uocat Merkelius. *B.*
2. *Askewianum* chart., collatum a Merkelio. *G.*

[1]) Hic quoque signa codicum, quae apud Ellisium inueni, seruabo.

[2]) Cum non liqueat, an iste in numero Vat. Heinsii sit (Merk.), hoc loco eum indico.

[3]) Merkelii codicum signis utor.

3. *Moretanum* membr., *d.*
4. *Bersmannianum* membr., *H.*
5. *Regium Parisiensem* membr., saec. XIII, ab Heinsio coll. [Merk.] *D.*
6, *Petauianum* membr., *E.*
7. *Claudii Sarrauii* membr. *F.*[1])
8. *Petauianum* chart., *a.*
9. *Reg.* chart., *b.*
10. *Gallicum*, *C.*[2])
11. *Berolinensem*, *e.*
12. *Tolosanum* membr., *f.*
13. *Berol.* membr., *g.*
14. *Heinsii* chart., *h.*
15. *Berol.* chart., *i.*
16. *Berol.* chart., *l.*
17. *Sanuictorianum.*
18. *Maffeanum.*
19—21. *Mediceos tres.*
22. *Francisci Jureti cod.*
23. *cod. Mentelii*[1])
24—25. *Politianos duos.*
26. *Hercul. cod.*
27. *Bononiensem.*

Sed, cum numerus codicum conferendorum maior sit quam qui possint arte typographica sub uno aspectu poni, ex Ellisii codicibus praeter grauiores, id est Gal., Phil., Par., Tur., nullum nisi Vat., Parm., Holkh., Mut. adhibebo, quos in eandem familiam redigendos esse demonstrabo; quod si absolutum erit, aestimando Conradi de Mure Repertorio Vocabulorum operam nauabo, extrema huius partis capite reliqua Ellisii instrumenta tractabuntur.

Atque pro magno codicum numero, ut omnia facilius uno conspectu complecti possis, litera a codices ab Ellisio solo, litera b codices ab omnibus editoribus usurpatos, litera c eos enumerabo, quos Ellisius neglexit:

[1]) Vide infra.
[2]) „fortasse regius; oblitus enim erat Heinsius, unde desumptum contulisset“ [Merk.].

v.	VARIAE LECTIONES	a. Codices ab Ellisio solo usurpati	b. Codices ab omnibus editoribus usurpati	c. Codices ab Ellisio neglecti
36	*Quam* uetus accensa	Gal., Holkh., Mut., Phil., Tur., Par.	Vind., Franc.	
	Quem uetus accensa			Gallicus anonymus, Pet. membr., Cl. Sarrauii membr.
101	*omnibusque* malis	Gal., Tur., Par., Holkh., Mut.	Franc.	Ask., Moret., Bersm., Reg. Par., Cl. Sarr., Pet. chart., alii.
	nominibusque[1]) malis		Vindob.	Berol. membr., Berol. chart. unus, ed. Lips. Mart. 1507.
135	*iapides*	Gal., Holkh., Mut., Par., Parm.	Franc.	Incert., Ask. chart.
	iazyges	uerum solus	seruauit Herculani liber.	
221	*aluo*	Tur.		
	aluo est	Gal., Phil., Holkh., Mut.	Franc., Vind. [in F sec. Ell.]	Reg. Par., Pet. membr., Cl. Sarr., Ask., VII alii [cod. et. ed.]

v.	VARIAE LECTIONES	a. Codices ab Ellisio solo usurpati	b. Codices ab omnibus editoribus usurpati	c. Codices ab Ellisio neglecti
249	*accedant*	Gal., Holkh., Mut., Par., Tur., Parm,, Phil., Vat.	Franc.	a Merkelio non indicantur singuli.
	accedent [2])			Berol. chart. unus.
250	*experiere*	Gal., Holkh., Par., Tur., Phil., Vat.		
	experiare	Parm.	Franc.	Reg., Par., Cl. Sarr., Bersmann., Pet. chart., Berol. membr., Berol. chart., ed. Veneta et Martini.
255	*armatusque*	Gal., Holkh., Mut., Tur., Par., Vat.	Franc., Vind.	
	armatisque	Phil., Parm.		Berol. unus, Tolos.
361	*capitique [captique V] parentis amica*	Gal., Holkh.	Franc., Vind.	Anonym., Ask., Moret., Petau. alter.
	Filianeue magis capiti sit fida parentis	Phil., Tur., Par., Parm., Vat.		Reg. Par., Pet. alter, Cl. Sarr., Reg. chart., Gall. anon., Berol. omnes, multae edit.

v.	VARIAE LECTIONES	a. Codices ab Ellisio solo usurpati	b. Codices ab omnibus editoribus usurpati	c. Codices ab Ellisio neglecti
399	*anthei*	Holkh., Phil., Tur., Par.	Franc., Vind.	Berol. unus.
	Ancaei	coniecit Micyllus		
412	*gerionea*	Gal., Tur., Par., Phil., Vat., Holkh., Mut.	Franc., Vind.	Gall. Anon., Ask., Berol. duo, ed. Veneta altera.
	cercionea			Cl. Sarr., ed. Ald. alt. pro uulg. scriptura.
439 [3]) 447	*pentides*	Gal., Phil., Par., Mut., Holkh. Vat.		Ask., Berol. membr.
	penthides		Vind., Franc.	Incert., Bersm.
449	*est* post *exiguo* omittunt	Gal., Phil.	Franc.	Berol. duo, Moret., ed. Venet. 1484, Ald. 1502.
	est post *exiguo* habent		Vind.	Incert., Reg. Par., Pet. duo, Cl. Sarr., Bersm., alii.
	est post *libello* omittunt	Gal., Phil.	Franc.	Moret., duo Berol., ed. tres.
	est post *libello* habent	Holkh., Tur.		reliqui [Merk.].

v.	VARIAE LECTIONES	a. Codices ab Ellisio solo usurpati	b. Codices ab omnibus editoribus usurpati	c. Codices ab Ellisio neglecti
508	*Frigia uenator*	Gal., Holkh., Mut., Phil. *[Phrigia]*, Vat.	Vind.	Reg. Par., reg. chart., Gall. anon., Berol. membr.
	Frigida uenator			duo Petau.
539	*cognitor*	Gal., Mut., Phil., Par.	Franc., Vind.	
	conditor	Holkh., Tur.		Cl. Sarr., Gall. anon., Heinsius e coll. uet. ed.
598	*ethna*	Holkh., Mut., Phil., Tur., Par.	Franc., Vind.	
	aetna			alter Pet. [sed *Sicelis aetna]*.
615	*obstructoque*	Ellisii coniectura		Juretanus.
	obstructusque, obstrictusque, obstractusque, simil.	*omnes alii.*		

Hi tres loci mihi illustrandi esse uidentur:

1) minime probandum est quod Ellisius in app. crit. [pag. 6] ad v. 101 adeo sibi contradicit annotans haec: „*ominibus* G H M T V (!) P, *nominibus* V (!) Salv. T., Merkelius". *nominibusque* secundum Merkelium scriptura est Vindobonensis. Idem sibi constans non est, nam hic annotat, quam lectionem et Merkelius et Riesius receperint, illic Riesium omittit [hoc loco cum M. habet *nominibusque*], similia ad v. 248, 470, alios locos.

2) in editione quidem Reimeriana Merkelii [a. 1837] non *accedent* inueni, ut uult Ellisius, sed *accedant* [etiam apud Ries.]; alii errores in eius editione sunt, ut ad v. 461 Ellisius dicit: „*Casandreus* Merkelius"; ego in ed. a. 1837 *Cassandreus* inueni.

3) Ellisius haec annotat [pag. 27]: „439, 40 omittunt H M T V, in quibus leguntur post 338"; contra Merkelius ad 437, 38 [= 439, 40 ap. Ell.]: „hoc distichon omittunt AC", id est Vind. et Franc. Simile contrarium ad v. 461, 62 apud Ellisium: „hic omittunt H M T V, in quibus leguntur post 338 cum 439, 40"; Merk.: „hoc distichon omittunt A B C D k l... eorum tres illi optimi ne supra quidem post v. 338 id habebant"; uter errauit?

Haec igitur e lectionibus supra conscriptis efficiuntur:

I. Omnes codices literis a b c notati ad unum redeunt archetypum;

II. Tamen Gal., Tur., Phil., Par. artioribus uinculis cum Holkh. et Mut., quos ipsos plurimum consentire uidemus, quam cum aliis, conexi sunt;

IIIa. Codices litera c propositi partim cum aliis faciunt, partim peculiares habent lectiones, quae aut multis aut non nullis suffragantibus saepe pares sunt IV Ellisianorum, non semel meliores;

IIIb. Inde sequitur, ea confirmari, quae supra memoraui: Ellisium permultos eosque haud spernendos ueteres codices praetermisisse.

Sed propter grauitatem rei quae modo dixi accuratius explicentur.

v. 36 codices nostri praetermissi ueram lectionem *quem uetus accensa* soli seruauerunt;

v. 135 *iazyges*, quod omnes habent editores, ab uno horum codicum assecla, Herculanensi, traditur;

v. 250 uerum *experiare* cum Parm, et Franc. hi codices soli seruauerunt;

v. 256 *armatisque* praeter Phil. et Parm. nusquam nisi in Berolinensi et Tolosano traditur;

v. 412 uera lectio *cercionea* in omnibus codicibus corrupta est, excepto cod. Cl. Sarrauii et edit. Aldina altera [uulgata script.];

v. 539 *conditor* ex aliorum numero praeter Gal. et Phil. nisi a nostris non traditur.

Altero hoc argumento deuuo iudicium meum firmatur, Ellisium iniuria tot codices neglexisse.

5. DE ELLISIANIS IV CODICIBUS CUM VIND. COMPARATIS.

Sed, quamquam ad hunc disputationis exitum perueni, in posteris ostendam, me in eo Ellisio assentiri quod contendit, Gal., Tur., Phil., Par., Vindobonensi superiores esse; nam qui aliquantulum apparatum criticum, quem quoniam codices ipsi mihi non praesto sunt, solum exhibere possum, perlustrauerit, non solum intelleget, quibus locis in codicibus illis quattuor errores sunt, his plurimum Vind. cum illis facere, uerum etiam cognoscet, paucas scripturas in eo exstare, quae meliores aestimandae sint et omnibus probentur, uelut hae, ut e paucis duas proferam:

v. 139. Vind. habet *bella geram tecum*, quod cur cum Ellisio in *tecum bella geram* mutandum sit non intellego, praesertim cum omnes excepto Galeano suffragentur. v. 211 Ellisius pro *affulsit* (Vind.) aut *effulsit* Galeanum suum secutus recepit *illuxit;* ego non habeo, cur in af*fulsit* offendam, praesertim cum meminerim

Aen. II, 589 sq.:

Talia iactabam et furiata mente ferebar,
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, uidendam
Obtulit et pura per noctem in luce re*fulsit*
Alma parens [Venus.].

Hor., Od. I, XII, 28:

quorum simul alba nautis
Stella re*fulsit*, sq.

Sed mihi non est in animo Vind. defendere, quod non possum, sed probare, quoties per totam Ibin huius codicis scripturae cum Ellisianis collatae [paucis locis exceptis] tam prauae sint, ut de praestantia IV codicum dubitare non possis.

v. 24. Qui nostras inopes *noluit* esse uias

Gal. et alter Polit. *non sinit,* Phil. et Tur. *uoluit* praebent. Vind.: *Qui nostras melius inopes*, quod sensu caret.

v. 52. Teque breui *qui sis* dissimulare sinam

sis omnes cod. [nisi quod uet. permulti *quis sis]*, Vind *quis sim.*

v. 76.... pollice *netis* opus

netis Tur., *nectis* Gal., Phil., Par., quod ad uerum propius accedit quam *nectit* in Vind.

v. 85. Carmina dum capiti *male fido* dira canuntur

male fido [malefido Gal.] plurimi, *nil fido* Vind., quod per glossam ut explicans difficilius *male* in textum irrepsisse patet.

v. 135. Pugnabunt arcu dum Thraces, *Jazyges* hasta

ita nostri [nisi quod *iapiges* Tur., *iapides* Gal., Par., *ypides* Phil.], praeterea Ask., Moret., Bersm., Reg. Par., Pet. membr., Reg. chart., alii (*[Jazyges* solus Hercul.]. — Vind.: *traces tuscus et hasta*!

v. 141. Cum fuero uacuas *dilapsus* in undas

dilapsus omnes IV [nisi quod *delapsus* Gal.], Ask., Reg. chart., Moret., Berol. chart. — *dilapsis* Vind.

v. 173. In loca ab Elysiis diuersa *fugabere* campis

fugabere omnes [Gal. et Mor. *uocabere].* — Vind. *campi diuersa fugare.*

v. 189. In te *transscribet* .... tormenta

solus Vind. *transscribent*, quod cum ad *Aeacus* referendum sit, falsum est.

v. 200. Quotue ferat dicam terra *Cilissa* crocos

Cilisca Gal., Tur., Par., Incertus; „alii alia, multi proxime a uero [Merk.], sed Vind. *falisca.*

v. 202. Quam multa *fiat* grandine canus Athos

fiet solus Vind.

v. 227. Pectoraque *unxerunt* Erebeae felle colubrae

unxerunt [uel *ūxerunt* Par.] omnes consensu habere uidentur, Vind. *iunxerunt*, quod stulti librarii testimonium est.

v. 233. Membraque uinxerunt *tinctis ferrugine pannis*
tinctis ferrugine pannis uel *p. f. t.* omnes — Vind. *tactis f. p.*

v. 261. Nec plus aspicias *quam quem* sua filia rexit
Vind. solus miro errore *quemquam*.

v. 308. *Cantharidum* sucos . . . bibas
Cantaridum Gal., Phil., ab omnibus receptum, *Tessalidum* Tur., *Thessalicum* Vind.

v. 428. Parte potes, Tydeus *temporis huius eris*
ita omnes codices praeter Vind.: *parce potens fueris tydeus huius eris.*

v. 437. Aere perilleo ueros *imitere* iuuencos
Vind. [cum aliis] *imitare.*

v. 619. Naupliadaeue modo poenas pro crimine *ficto*
ficto Gal., Phil., Tur., Par. [Pet. membr., Ask., duo Berol., Tolos.]; Vind. *falso* sine dubio ut glossa exquisitius *ficto* explicat atque ita in textum irrepsit.

v. 621. Aethalon ut uita spoliauit *in Isidis* hospes
in Isidis coniecit Ell., Gal. *isidius*, Tur. *ysidius*, Phil. et Par. *isindius*, Vind. *insindius*.

Cum plurimis erroribus tum his mihi quidem apparet, eum, qui Vindobonensem descripsit, aut ineptum hominem aut linguae latinae ignarum fuisse: conferas alios locos, ut v. 635 *ut ueromo* pro *utque Remo*, ib. *nocentes* [sc. *muros Romuli]* pro *recentes*.

Quae exempla, quanquam qui commentarium Ellisii perlustrauerit augere poterit, tamen sufficiunt ut statuamus

Tur., Gal., Phil., Par. Vindobonensi superiores esse.

Cum supra uidimus quanti codices ab Ellisio non usurpati aestimandi sint, ita ut saepe lectiones non solum Ellisii codicum pares, sed etiam praestantiores praebeant, tum e sequentibus cognoscemus, nos minime errare.

Quamuis enim id quod addere uolo ad rem, quam modo tractaui, non pertineat, tamen unum mihi nunc addere liceat, propterea quod inde ad aliam materiam tractandam deducar.

Proleg. enim capite VIII, quod est de codicibus Ibidis, sic incipit Ellisius: „Codices Ibidis, qui quidem mihi innotuerint, ad unum omnes redeunt archetypon, omnes enim exhibent corrupta haec [sequuntur lectiones]: 256 *inerme potens* pro *inermis opem*, 84 *chori* pro *chao*, 109 *clarus* pro *calidus*, 178 *egisti* pro *egipti*, 321 *alebas* pro *aleuas*, 335 *passa est*, 359

Thiesti, 527 *Oresti*, 502 *paphagee* uel *pesagee*, 513 *ebenus* pro *euenus*, 549 *Siracusio* pro *Siracosio*, 600 *Orpheon* uel *Orpheā* pro *Orpheos*, cet.

Speciosissima haec exempla ne quem fallant, nam non omnia eum recte docuisse, esse libros, qui alias lectiones habeant, quas equidem non corruptas esse sine ullo negotio ipsi Ellisio persuadebo ut ei, qui corrupta ista adiuuante ingenio correxerit, et, scilicet ignarus fontium, in textum suum receperit, ex his locis apparebit: v. 359 in uno libro ab Ellisio quod dictu uix opus est praeterito, Moretano [sec. Merk.], non *Thiesti*, quod omnibus codicibus commune esse dicit, inueni, sed *Thyesti*, quod idem Ellisius e Conradi de Mure Repertorio Vocabulorum exquisitorum ut ei peculiare recepit. Deinde v. 600 unus Vaticanus sec. Merk. nec *Orpheā* nec *Orpheon* nec *Orpheam*, quod Ellisius etiam in annotatione editionis p. 38 docet [*orpheam* sec. coll. Heinsii apud Merk. in Francof. legitur], habet, sed uerum *orpheos;* ceterum, ut repetam, quod supra notaui, hoc quoque ad meam sententiam quadrat quod lectio v. 135 *iazyges* nisi in Herculanensi libro non exstat. Denique v. 328 „*a Ioue*“ dicit Merkelius, „omnes libri praeter primum Mediceum“.

Sed maioris momenti ea sunt, quae ex eius dictis mihi iam sunt restringenda.

6. DE CONRADI DE MURE REPERTORIO.

Conradum illum de Mure, ut de hoc in posteris uerba faciam, perbonis codicibus usum esse inde intellegit quod non nullas lectiones [sunt XIII, nisi fallor.] solus habeat. Ut hic non magis quam initio omittam quaerere, utrum libri praestantia in hoc ponenda sit, quot sint lectiones peculiares an quales, sicut supra de alia re anquiramus, quem ad modum illis usus sit.

Tamen prius facere non possum quin hic quoque Ellisio uitio tribuam quod tam neglegenter codicibus usus est, uel potius non contemnendos neglexit; iterum enim e ueteribus codicibus non unam lectionem inuestigaui; iam uide! Haec ut Conradi propria annotat p. LIII: „*redemi* pro *redimi* 281, *terga* pro *pelle* 319, *eschimea* 330, *calliricesque* 348, *cigneus* 463, *uenator*

frigia 508, *euenus* 513, *astacideque* 515, *stuto* pro *trunco* ib., *sollicitusque* pro *sollicitoque* 559, *telegonius* et *teleogonus* pro *teli genus* 567, *Quemque memor sacris* pro *Quem memor a sacris* 622, *certaque* h. c. *cretaque* 572; solus praeter T *uictus* pro *quintus*. Solus tamquam aliter lectum memorat v. 488 *dymas*".

Ac primum quidem de v. 463 Ellisius errat. Dicit enim, Conradum habere *cigneus*, sed, si quis ipsius Ellisii comm. crit. euoluerit, alia ab eo de Conrado annotata inueniet: *ligneius heros* uel aliter ut legatur *cigneus*; utrumque uero alicubi lego, nam *ligneius* in utroque Petauiano, *cygneius* [non solum *cigneius*] in Cl. Sarr. codice [„testante Heinsio", Merk.] exstat.

v. 513 ut de v. 463 sibi contraria dicit. Apud Conradum *euenus* legi in proleg. tradit, in app. critico ut scripturam Conradi propriam *ebenus* [1]); minime probanda est tanta neglegentia. *ebenus* uero inest in incerto codice, quem uocat Merkelius, Moret., duobus Berol.

v. 515 quamuis non omnino idem *Astacideque* tamen proxime accedens [et ab aliis libris abhorrens] in codice Francisci Jureti, ab Heinsio ueterrimo nuncupato, „uelut gemina in stercore seruata", ut Merkelii uerbis utar, exstat:

Astacidesque modo qui Tydea misit ad umbras
non impune tamen ... *cet.*

ad v. 293 ait: „solus praeter T [2]) *uictus* pro *quintus*". hic est uersus:

Aut ut Echecratides magno ter ab Hercule *quintus*

si Pet. membr. contulisset, legisset *Hercule uictus* [uulg. scr.].

Hac re absoluta sicut supra de locis Galeano peculiaribus ita nunc quoque rogo, cur Ellisius dicat: *„hunc Conradum de Mure perbonis codicibus usum esse sic intellego. Solus habet* [uide supra]...", cet., tamen plurimas spernat, ut alios fontes sequatur, quorum multos qui fuerint ne certiores quidem nos facit? Hi loci proponantur:

---

[1]) Hanc esse Conr. scripturam ueram, v. 323 demonstrare uidetur ubi Conradns non *Aleuas*, sed *Alebas* legit.

[2]) Ne hunc quidem codicem omnia sibi peculiaria habere ea, quae dicit Ellisius, quod elucet e v. 211, ubi *effulsit* sec. Merk. praeterea in Reg. chart. inest, operae pretium non habeo.

319 *pelle* [Conr. *terga*] [Gal., cet., ?]	Berol. chart., Hercul.
330 *Achillea* [Conr. *eschimea*] [1])	Franc., Gal., Par., Phil., Tur.
348 *Callirhoesque* [Conr. *calliricesque*].	Canon. 20 *[calliroes]*, Incert., Franc., Berol. unus.
508 *Phryx et uenator*	Merkelius nec non Riesius.
559 *sollicitoque* [Conr. *sollicitusque*]	" " " "
567 *teli genus*	" " " "
572 *ictaque*	Gal., Franc., Vind., Incert., Pet., uet. edit.
622 *Quem memor a sacris*	Merkelius, Riesius.

Quid igitur nos de Conrado statuamus? postquam aliquot scripturas Conrado non esse peculiares uidimus, postquam cognouimus, octies Conradum seu iure seu iniuria, quod hoc loco non interest, ab Ellisio quasi desertum esse, ut alias scripturas reciperet, quas partim in ueteribus libris eique ignotis inuenimus, nonne maiore iure eius iudicium his uindicare possumus, ita ut contendamus, perbonos codices illos aut nostros esse aut nostros, partim quidem, cum Conradi Repertorio in illas redire?

Sed modestiores simus haec respicientes:

1) Numerus eorum locorum, quibus Ellisius Conradum omisit, est VIIII
2) Numerus earum script., quae C. peculiares non sunt est IV

Summa igitur disputationis haec est, ut I *redemi* [2]) v. 281 et reuera Conradi proprium et ab Ellisio receptum inueniatur!

Aliud etiam reticere non possum; nam, ut illi XIII loci omnes Conradi proprii sint, quid quod Ellisius omnia enumerat, quae Conradum peculiaria habere dicit, qua in re fontium praestantiam ponit, ita ut arbitreris, eum re uera omnia enumerauisse, nihilo minus quicumque eius apparatum criticum accuratius perlustrauerit, tot alias scripturas inueniet, quas eius solius [seu iure seu in codicibus ab eo neglectis exstantes] annotat, tamen uero ut corruptas et manifesto falsas nemo neque ipse

---

[1]) „*achinnea* in cod. incerto proxime abest" [Merk.]

[2]) Ceterum *redemi* in editione Parisina a. 1573 legitur.

Ellisius recepit? et quid, rogo, hoc enim grauius est, quod horum errorum numerus, non est necessarium ut dicam multo maior quam probandarum scripturarum, cum uix unam exstare constet, sed hoc tantum dico, permagnus est? cur Ellisius has scripturas Conr. ab ipso, ut uidetur, proprias habitas, sed falsas, in proleg. cum aliis non enumerauit? quam boni fontes sint, haec exempla a me ex Ellisii editione collecta testimonia sint:

v, 261. *ne* [pro *nec*] plus aspicias quam quem sua filia rexit

v. 269. Pastor ut Aetnaeus, *qui* casus ante futuros
Telemus Eurymides uaticinatus erat

[*qui* pro *cui.*]

v. 302. Opprimat hostili tegula *missa* manu

pro *iacta* in omn. edit.

v. 313. Utque Jouis Libyci templum uiolare *paratos*

pro *parantes* in edit.

v. v. 317. *olimfera* ... Sicyone [pro *oliuifera*]. 325 *utue* Milo [*utque*]; 328 te quoque *missa* petant [pro *tela*]; 361 neue magis pia *sunt capitiue* parentis amica [*sit*, *capitique*], semel apud C.; 379 *occidere* pro *cecidere*; 380 *dee* pro *deae est* uel *deaest*; 391 *aut uult. Ic.* pro *sex bis ut Ic.*; 429 *ortum* [alii cod. et edit. *ortus*]; 451 uulnera quodque feras [*tot*]; **452** Cuius *ab inferis cultri* abesse solet [*ab inferiis culter*]; 470 *Dexionesque paterque* [*pater*]; 478 *capto* pro *rapto*; 481 *cana* pro *caua*; 487 *si quis* pro *quisquis*, *furentem* pro *uocantem*; 501 *populare merito* [*popularis in aruo*]; 504 *rumpat* [*rumpat*]; 506 *cedere* pro *cecidere*; 515 *Astacidaeque meo* [*A. modo*]; 516 *fit caput esca tuum* [*sit c. e. t.*]; 517 *Quotque fuerunt* [*quodque ferunt*]; 545 *pueri* [*puer*]; 559 *sollicitusque* [*sollicitoque*].

Ceterum miror quod Conradus de Mure, ubicumque hic ille codex bonam habet lectionem, seu unus ex Ellisianis, qucs quidem adhuc tractauerim, seu e ueteribus, cum eis communem eam plurimum habere solet:

v. 380. Propter quod facies nunc quoque *tecta* deaest

tecta Conr., Franc., Gal., Par., Phil., Vind., Pet. membr., Reg. Par., Ask., Bersm., septem alii.

v. 418. Quique tenent pontem, *qui tibi* maior erit

qui tibi [pro *quae t.*] Conr., Gal.; uulgata quaedam Saluagnii.

v. 461. Aut ut Cassandreus, *domino non* mitior illo

Conr., Gal., Holkh., Mut., Tur., Pet. membr., Gall., Berol. chart.

v. 485. Neue gradus adeas Elpenore *cautius* altos

caucius Conr., Gal. [alii *caucior*], ueteres.

v. 509. Si tua contigerit, Minoas puppis *harenas*

harenas Conr., Holkh., Mut., Moret. [*arenis*; alii *ad undas*].

v, 512. Stella Leoprepidae *cum* fuit aequa uiro

Conr., Gal,, Phil., ueteres; alii *cui.*

Plura exempla afferre non opus est, cum sine negotio ex Ellisii comment. augeri possint; haec igitur mihi effecisse uideor:

I. Conradi de Mure Repertorium ad eundem archetypum redit, in quem alii Ibidis codices;

II. IV codicibus Ellisii inferius est etiamque ueteribus non superius.

7. DE MINORIBUS ELLISII CODICIBUS ET DEFLORATIONIBUS.

Ceteri codices minores et Deflorationes, quibus Ellisius usus est, partim quidem cum aliis et Merkelianis non congruunt, cum non semel sibi peculiaria habeant, quanquam, si totum spectes, omnes ad unum non tanti aestimandi sunt, nam unum locum iuueni, qui omnibus aliis meliora praebeat, v. 109, ubi in Flor. Bodl. et Deflorationibus omnibus pro *clarus* legimus *calidus*, quod propter *clara* in sequenti uersu solum uerum esse recte dixit Ellisius; praeter illud lectionem *iazyges* pro *iapides* ut Atrebatensis proprium affert, quam in Herculanensi exstare supra demonstraui.

Alia repudianda esse plurima haec exempla docent e Defl. hausta:

v. 109 *calida* [*lucida*], Defl., Brit. Mus., 111 *nec tibi Vulcanus* [*nec se* V.], Flor. Bodl., Brit. Mus., 112 *iter omissum*, Brit. Mus., 117 *Bisque miser semper ne sis*, Defl. Par., 120 *contuleris* [*cum tuleris*], Duacensis, *feres* [*feras*] ibid., *nulla* [*plura*], Flor. Bodl., 124 *fugias* pro *fugiat*, Brit. Mus., 125 *luctatoque* [*luctatusque*], Flor. Bodl., 139 *finiat* [*finiet*], Par., cet.

In codicibus tres lectiones repperias, quae probandae sint: v. 178, ubi Laurent. XXXVI 21 cum Phil. 3360 recte habet *Aegypti* pro *egisti* et *egesti*; 323 *Aleuas* inest Phil. 3360; 511 *aleuae* in Canonic. 20; ubicumque cum aliis codicibus consentiunt, mireris quod saepius errores, raro bonas lectiones

communes habent, uelut 190 *manibus* quattuor Laur. cum Franc., 348 *calliroes* Canonic. 20 cum Incerto, Cl. Sarr., Berol. uno, 391 *sex bis ut* Leid. et marg. Phil. 3360 cum Reg. Par., Cl. Sarr., 426 *conficiare* pro *destituare* Harl., Sloan. cum Gal. et Phil., ueterum plurimis, 569 *acerno* Can. 20 cum ueteribus non nullis, sed a Merkelio non indicatis.

Contra uide haec: 281 *Romanos* Phil. 23620, Reg. Par., Cl. Sarr., Reg. chart., Gall., Berol. chart. 366 *olim* Parm. et Sloan. 777, Bersm., Reg. chart., Berol. chart. unus; 369 *periitque* [pro *periit*] Laur. XXXIII 31, Cl. Sarr., Bersm.; 375 *altos* [*altum*] Leid., Sloan., Pet. chart.; 380 *torua* Harl., Incert., Cl. Sarr., Pet. chart. [pro *tecta*]; 397 *post annum* Gal., Phil., Tur., Harl., Reg. Par., Cl. Sarr., Berol. membr.; 434 *tu tereique* [*ut Teleique*] Gal., Phil., Tur., Par., Sloan.; XXV ueteres; 440 *phario* [*Paphio*] duo Philippici, Pet. membr., Cl. Sarr.; 452 *cultus* [*culter*] Phil. et Philipp. 23620, Tolos., Berol. chart.; 466 *t* [*th* La] *eodorus* Gal., Laur. XXXIII 31 520 *profuture* Phil., Laur. XXXVI 34, *profuturae* Ask., Berol. unus; 554 *cephenum populos* Laur. XXXIII 31, unus Med.; 634 *semicremanda* Phil., Laur. XXXIII 31, Tolos.

Quamquam de his fontibus partim intermittentibus plura dicere supersedeo, tamen hoc additum uolo, eos in tanta multitudine falsarum lectionum nihilo minus illorum quos enumeraui paucorum et singularium locorum causa non esse spernendos: partim in aliam originem hi codices redeunt eamque optimam, partim in eandem atque alii.

II. DE SCHOLIORUM CODICIBUS.

Scholiastam istum ignotum et ignarum, quem omnium primum incerta adhuc aetate ad explicandas fabulas, quarum permagnus in Ibide numerus est, accessisse inter omnes constat, cuius ignorantiam et fraudes uia et ratione commissas fusius patefecit Ehwaldius[1]) quam ut plura ad haec cognoscenda addere necesse sit, quamuis silentio praetermittere malim, quoniam talis homo non est dignus, de quo plus semel agatur, ut eius natura genusque intellegantur, tamen supersedere uix possum, quandoquidem mihi, sicut priore capite de carminis codicum mutua ratione disputaui, de eodem genere et ratione scholiorum hoc altero agere proposui: quae si generaliter uis perspicere, fieri non potest quin quasi ad fontem redeas, unde posteriora orta sunt omnia; sed cum ex Ehwaldii commentatione doctissima cognouerimus, quid de isto homine ne nomine quidem scholiastae digno iudicandum sit, uel potius, quoniam id exploratum est, hoc alterum in uniuersum dicere uix opus esse puto, quanti ea sint aestimanda, quae ab illo fonte oriantur, nam, si fons plenus caeni sordidus et uitiosus erumpit, quid mirum quod omnia posteriora, quo longius quasi temporibus descendunt, eo magis, ut Quintiliani uerbis de alia re utar, proprium quendam gustum prae se ferunt? similia de scholiis nostris aestimanda esse, hoc sequentibus plagulis ostendam, ita tamen, ut primo loco de nouis scholiis acturus sim, ea dico, quorum sicut carminis codices primo exhibere Ellisio contigit; sed prius scholiorum codices et noui et ueteres mihi sunt nominandi.

Primo ab Ellisio usurpati sunt:

Galeanus, in quo secundum Ell. scholia inde a. v. 253 exstant, ab ipso antiquissimus nuncupatus, [2]) *G;*

[1]) Rud. Ehwald, De scholiasta qui est ad Ouidii Ibin commentatio. Gotha, 1876.

[2]) Superfluum non fuisset, si addidisset: *ex iis, qui seruati sunt.*

Philippicus 1796 *P*, saec. XIII uel XIV. scr.;
Conradi de Mure Repertorium Vocabulorum, a. 1273 perfectum.

Aetate igitur Galeanus primum, Conradus de Mure secundum, Phil. tertium locum obtinet: proxime ille ad Bernensem 711 accedit. Quae in *cod. 66 collegii Corporis Christi* [*C*] insunt, in Askewiano quoque inesse cum ipse Ellisius testatur tum scholia plane congruentia mihi sunt testimonia; praeterea ei quattuor Vaticani, Holkhamicus, Patauinus subsidio fuerunt.

Veteres codices hi sunt:
Bernensis 711, XI saec. scr., qui cum apographo Keilii deest; scholia inde a uersu 175 exstiterunt;[1])
Dionysii Saluagnii Boessii editio a. 1661;
Askewianus, scholia usque a v. 255 continens, saec. XV;
Parisinus 7994, saec. XIII, olim *Mentelianus;*
Bernensis 516, saec. XV, ineditus, de quo infra;
Parisinus 8464, saec. XVI.

De Menteliano uide Ehwaldium [pag. 2]: „idem est quem Merkelius notauit F; sed is, cum codicem non ipse contulisset, plurima minime accurate ex eo in annotatione critica adscripsit: errat idem quod diuersum hunc putat a codice suo 29 [cf. Merk. edit. p. 406].“ Parisinum 7994 et hunc codicem 29, id est, Mentelianum, eosdem esse codices, cuius rationis argumenta Ehwaldius non attulit, conferens uarias quae exstant in annot. crit. lectiones mihi ipse persuasi, nam octo lectiones Menteliani, quas a Merkelio annotatas inueni, prorsus congruunt cum Parisini: 167 *carpent*, 337 *tuos irrisa*, 391 *sextus ut*, 424 *lassaque*, 431 *referens contagia*, 432 *aliqua*, 551 *nullaque*, 615 *abiectusque*. Quem cur adeo neglexerit Ellisius, ut praeter praefationem nihil fere attulerit, non intellego; sed hoc mihi Ehwaldius non persuasit, Parisinum, id est Mentelianum, eundem esse atque codicem F, id est Claudii Sarrauii, nam illum Merkelium plurima tam neglegenter adscripsisse ut tot lectiones codicis Cl. Sarr., quas secundum Merkelium non congruere uidi, falsae sint non credo.

Vides igitur, Bernensem 711 non solum horum ueterum, sed omnium omnino antiquissimum esse, aetate sequi Galeanum. De hoc Bernensi talia dicit Hagenus:[2]) „Codex 711 deest hodie

1) Sicut supra Ellisium in numerandis uersibus sequar.
2) H. Hagen, Catalogus codicum Bernensium, Bernae 1875 [p. 512].

nescio quo pacto deperditus uel abreptus, de quo Sinnerus haec: „*711 8⁰ codex membr. ex libris Petri Danielis Aurelii saec. XI. Glossae in Ibin Ouidii. Codex noster incipit a uersu 117: „Sisyphus est illic.“ Incipiunt Glossae in Ibin: „Dianam de stupro interpellauit“*, cet. Eo codice usus fuerat editor glossarum in Ouidii Ibin Paris. a. 1573.“

1. DE EDITIONE PARISINA a. 1573.

Quoniam tale indicium summi est momenti, praesertim cum multae glossae exstent, quas Merkelius e Keilii apographo non minus deperdito descriptas cum Ellisio communicauit, operae pretium est, planius pleniusque anquirere, an talis ratio statui possit; sed antea lectores praemonitos uolo, me non primum meo ipsius ingenio ad eum finem grauissimum perductum esse, ad quem me esse uenturum uidebis, sed eum, qui semper suspicatus erat, in hac editione unum idemque, seu mutatum seu integrum, hoc enim nunc nihil attinet, contineri quod in illo codice deperdito, Hagenum, praeceptorem dilectissimum meum, summa cum comitate et liberalitate me hortatum esse, ut accuratius in hanc rem inquirerem; ergo minime noua proferam, sed argumentis eius iudicium firmabo.

Ac primum quidem obiter inspicienti elucet, negari non posse, quaedam affinitatis uincula, ut in uniuersum hoc initio dicam, adesse; constat enim, codicem illum Bernensem 711 e Bongarsii bibliothecae libris fuisse, unde editionem principem fluxisse inde efficitur, quod in prima exemplaris Bernensis pagina quaedam annotata inueniuntur, quae Bongarsii manu scripta esse Hagenus testis est; porro commoneo, eodem loco, quo Bernensis 711 primum scholion exhibuisse traditur, ad v. 175 [*„Sisyphus est illic“*], in editione quoque Parisina commentariorum initium esse, denique, ubicumque glossa e Bernensi 711 excerpta seruata est, eandem in Parisina nunquam deesse; sed recte mihi opponas, talibus argumentis hos libros affines, non eosdem esse demonstrari; itaque pro grauitate quaestionis quasi in interiora penetrare studeamus, ita ut glossas, quo usque exstant, conferamus et, ubi differunt, uideamus, possitne e natura et ingenio scriptoris editionis Parisinae explicari [omnia uerba, quibus Par. a Bern. discrepat, inclinatis literis scripta sunt].

ad v. 281 Ellisius haec dicit: „Scholion, quale in Ask. exstat, sic fere fuisse in Bernensi cod. 711, nisi quod in hoc aberant uerba *M. Atilius* Merkelius in epistula ad me testatur.“ Si Merkelio fidem habere possum, Ellisius Askew. cum Saluagnianis confundit. Saluagnius uero haec habet:

M. Atilius Regulus Romanus captus ab Afris noluit redimi; putauit enim turpe esse, si Romanus ab hoste redimeretur. Palpebris abscissis mortuus est, quod tangit Horatius.

Ed. Par. 1573; Regulus Romanus captus ab Afris noluit redimi; putauit enim turpe esse, si Romanus ab hoste redimeretur. Palpebris abscissis mortuus est, quod tangit Horatius.

ad v. 284 Ellisius: „Merkelius proleg. Apoll. Rhod. pag. XXII citat ex cod. Bern. 711 tamquam a se enotata haec: *quamuis amplecteretur aram rethesam, quae erat in troia, interfectus est.* Unde elicias, iisdem fere uerbis scholion ibi conceptum fuisse atque in cod. Saluagn.“ recte hoc coniecit Ellisius:

Saluag.: Priamum tangit, qui a Pyrrho, Achillis filio, dum caperetur Troia, quamuis *com*plecteretur aram Jouis Hercaei, quae erat in *impluuio aedium suarum*, interfectus est teste Vergilio.

ed. Par.: Priamum tangit, qui a Pyrrho, Achillis filio, dum caperetur Troia, quamuis *com*plecteretur aram *Jouis Hercaei* quae erat in Troia, interfectus est testante Vergilio.

rethesam editor Parisinae Bern. describens sine dubio ex ipso Ibidis uersu in *Jouis Hercaei* mutauit.

ad v. 285 Ellisius: „Scholion iisdem fere uerbis scriptum fuisse in Bernensi codice 711 atque in cod. Salu. testatur Merkelius, qui inde enotauit: *filius perpeti agrinta* [*o?*]*nti in ultra.*

Saluag.: Jonus rex Thessaliae filius † Perpeti [*Agrimantini* † omisit Salu.] ultra modum potus de Ossa monte se praecipitauit. Unde Gallus: Vina probo, e. q. s.

ed. Par.: Jonus rex Thessaliae filius Perpeti † ultra modum potus de Ossa praecipitatus est, ut ait Gallus: Vina probo, e. q. s.

ad v. 287 Ellisius: „Ex Bern. 711 enotarat Merkelius: *curyalus ioni filius quia filia stuprari* et *exta datur*, cetera ut Ask.“ Askew.: Euribous Joni filius, quia filiam stuprare uoluit, a serpentibus est consumptus [Salu. *Euryalus*], quod tangit Gallus [Jonides — esca fuit].

ed Par.: Euripus, Joui*s* filius, quia filiam suam stuprar*e* uoluit, a serpentibus consumptus est, quod idem Gallus tangit.

Jonides uti cupiens pro coniuge nata
[uinum causa fuit] anguibus *esca* datur.

Quam parui nominum discrepantia in tali quaestione soluenda aestimanda sit inter omnes constat; *stuprare* editor ex inusitato *stuprari* corrigendum esse recte censuit, nisi Merkelius falsum legit, nam in Par. *esca* quoque uerum legimus.

ad v. 290 Ellisius: „Ex Bern. 711 enotarat Merkelius: *Cocalus frater dedali minoem fugantem dedalum calida perfusum aqua interfecit in Sicilia, quod dicit o.*“

Quocum ad uerbum congruit editio Parisina: manifestius igitur exemplum cogitari non potest.

ad v. 293. „Ex Bern. 711 Merkelius enotarat: *etec˜tides XV*^{mus} *natus ab hercule a spadone quem ipse spadauerat in mare proiectus.*“

ed. Par.: Etratides, quintus decimus ab Hercule *ortus*, a spadone, quem spadauerat, in mare proiectus, *quod tangit Democritus* [Herculides — sibi].

Corruptum illud nomen editorem corrigere uoluisse patet; aliae discrepantiae nullius momenti sunt, etiamque in additis uersibus subpositiciis Democriti non est offendendum, quoniam e Merkelii excerpto, ubi non exstant, haud demonstratur, eos in Bernensi non fuisse.

ad v. 305 Ellisius: „*propilica* cod. Saluagnii, *pilaca* Bern. 711, uti enotarat Merkelius.“ ed. Par. habet *propilica* Pyrrhi filia, e. q. s.; hic quoque editorem correxisse uides.

ad v. 307 Ell.: „Ex Bern. 711 Merkelius enotarat *matre sua hermione quia — unde tibullus* — et *quoniam uita noluerat caruit.*“

ed. Par.: Magnetes, Pyrrhi nepos, dato sibi ueneno a matre, *cui consentire noluit Hermione*, periit, ut ait Tibullus [Fas-fuit]. Facillime haec discrepantia ita mihi explicari posse uidetur. *adulterari*, id est *quia cum ipsa adulterari noluit* [*periit*] editor mutauit in *cui consentire noluit*, quod post *Hermione* ponendum fuit, sed in describendo per errorem quendam redactionis q. d. transpositum est.

ad v. 310 Ell.: „Ex Bern. 711 Merkelius enotarat *Leucon unus ex ponticis regibus partacon fratrem suum interfecit — pro calcatoe solebat.*“

Vide etiam cod. Ask. et C.: Leucon unus ex ponticis regibus Spartacon fratrem suum interfecit, *qui cum* [Alcathoe] *uxore sua* solebat *adulterari. Postea idem Leucon interfectus est ab uxore sua. Unde Arion* [Leucon — fuit].

ed. Par.: Leucon unus ex ponticis regibus partacum fratrem suum interfecit *prouocatus ab uxore sua:* quam cum uellet adulterari Leucon, e. q. s. Unde Arion [Leucon — fuit].

Sine dubio editor haec, quae supra sunt, ita in Bernensi inuenit: qui cum uerba *pro calcatoe solebat* non intellegeret, haec, sane magna cum libertate, mutauit in *prouocatus*, ut sensus quidam efficeretur, ad quod illud *ab uxore sua* ex aliis codicibus addidit [patet, tum ei *solebat* quoque omittendum fuisse]; quae quod tantopere ab editore mutari potuerunt is non miretur qui meminerit, quo usque librarii licentiae in augendo et omittendo progressi sint.

ad v. 311 Ell.: „Certe ex Bern. 711 Merkelius enotarat *Lucretius lupertius*“, quod editor Par. conscius absurdi in *Lucretius* mutauit; ceterum miror num recte Merkelius legerit *lupertius*, quod alicubi non inuenitur.

ad v. 313 Ell.: „Ex Bern. 711 Merkelius enotarat *Cambises rex libiae cuius homines ad spoliandum hammonem irent, puluere austrio commoto obruti perierunt. neodē atestante* Cambisen — ager.“

ed. Par.: Camb*y*ses rex Lib*y*ae fuit, cuius *milites cum* ad spoliandum Ammonem irent, puluere *ab austro contorto* obruti perierunt, *eodem* attestante [Cambysen — ager].

Si ullo loco conspicuum est, consulto mutatum et correctum esse, hoc demonstratur; *homines* editor in *milites* mutauit, secum reputans, *spoliare* militibus conuenire; *puluere austrio* ei sine dubio inusitatum esse uidebatur, itaque mutatum est in *puluere ab Austro*, sicut dicitur *ab Aeolo;* sequens *commoto* ad turbonem Africanum uehementem referendum tenue esse censuit, ideo in fortius *contorto* transformauit. Ceterum respice quod editor in uerbis Graecis ubique orthographiam quae dicitur restituit, sicut supra *partacum* pro *partacon* scripserat.

ad v. 315 Ell.: „Ex Bern. 711 Merkelius enotarat *dares secundus optimi darei filius.*“

ed. Par.: Dar*aeus* secundus, *primi* Dar*aei* filius, e. q. s. Suspicor in Bernensi non fuisse *optimi*, sed *oprimi* aut solum *primi*,

ad v. 319 Ellisius e Merkelio [Bern. 711]: „*Atarnites id est Hermias ab Atarna oppido, a Memnone o ssus et captus et pelle iuuenci indutus ad Memnonem adductus est eodem attestante* [cet.].“

ed. Par.: Atarnites, id est, Hermias, ab Atarna oppido, a *Mentore obsessus* et captus *in* pelle iuuenci indutus, *ante regem Persarum* adductus est, eodem attestante [Hermias — erat].

Memnone illud prius in Bern. per compendium scriptum fuisse traditur *m̄none;* sed cum tale compendium pro *Memnone* inusitatum sit, ita editor se e difficultate expediuit ut solueret in *mentore;* alterum *Memnonem* sequens utrum per compendium scriptum fuerit necne non indicatur: siue fuit siue non fuit, ei hic quoque mutandum erat; ut scriberet *ante regem Persarum* simplici ratione mihi adductus esse uidetur: codicem Philippicum respexit, qui habet uerba *satrapa libie*, id est *lidie*, unde *ante regem Persarum* scribere non est ueritus; certe recensio Saluagniana eadem habet:

Atarnites, id est Hermias, ab Atarna oppido, *a Mentore obsessus* et captus pelle iuuenci insutus *ad Regem Persarum* adductus est.

ad v. 321 Ell.: „Ex Bern. 711 M. enotarat *Alexander phereus a tebe uxore sua — interfectus est. unde idem — seper.*“

ed. Par.: *Pheraeus* Alexander a T*h*ebe uxore sua — interfectus est; unde idem [cet., sed *cadit* pro *perit.*].

Prorsus eadem sunt in recensione Saluagniana.

ad v. 327 Ell.: „Ex Bern. 711 M. enotarat *Adimantus rex phisesiae* — unde idem *Philacides*, ceteraque ut in G.“

ed. Par.: Adimantus rex Phil*e*siae *indignans superis obedire et ipsi Joui*, a Joue fulminatus est. unde idem [cet.].

ad v. 329 Ell.: „Ex Bern. 711 Merk. enotarat *Lenneus rex amastricum a metridate paphl. rege socero Achillis in insula ponto solus est relictus, unde fanoxsinus* cum dist. om. *perit.*“

ed. Par.: *Lenaeus* rex Amastricum *captus* a *Mithridate* Paphlagoniae rege socero Achillis in Ponto insula solus relictus est, ubi *fame periit, ut Fauorinus ait* [cet.].

captus et *ubi fame periit* ex aliis codicibus interpolata esse uidentur.

ad v. 331 Ell.: „Ex Bern. 711 Merk. enotarat *Callimachus dicit euridamantem et thrasillum inimicos fuisse et euridamanta a lino larissaeo.*"

ed. Par.: Callimachus dicit Eur*y*damantem et Thrasillum inimicos fuisse et Eur*y*damantem *dicit propterea* interfectum a Lino Larissaeo amico Thrasilli, et ter tractum mortuum circa Thrasilli bustum. unde Darius [cet. ut Gal., sed *inferias*.].

Hoc exemplorum numero allato pro certo mihi effecisse uideor quae sequuntur:

Scholia in editione Parisina anni 1573, quamquam pro deperdito codice Bernensi 711 ut mutata et interpolata supplementi loco haberi non possunt, tamen e Bernensi fluxisse putanda sunt.

2. DE COD. GALEANI ET CONRADI DE MURE SCHOLIIS.

Haec hac tenus. Jam, ut de Ellisianorum scholiorum inter se mutua ratione disputem, demonstrabo, cod. Galeanum quidem et Conradi de Mure Repertorium affinitatis uinculis conexos esse, ita ut Conradus de Mure illum codicem respexerit uel, quod idem est, eiusdem atque ille recensionis sit; uterque enim ab eodem loco incipit, scholio ad v. 255, uterque post v. 465 ne unum quidem post interpretationes uersum affert [ceterum hoc de aliis omnibus iudicari potest]; deinde sunt testimonia, quibus docemur, alterum alterum respexisse; respicientem uero pro aetate Conradum esse potuisse non solum statuendum est, sed etiam, sicut dixi, eum reuera respexisse certis mihi uestigiis persuasum est, quorum simili forma Ehwaldius ad similem finem de ueteribus codicibus adductus est; non semel enim Conradus de Mure uersuum Ouidianorum duplices affert interpretationes ita, ut altera exhibita dicat, aliam hanc esse uel alios aliter interpretari. Annoto hos locos: ad v. 255 haec dicit Mure: *Dareus uel Darius pulsus a patria in exilio a cerua quamdiu*

uixit pastus est. Aliter: Dares, Daretis Milesii filius, crudelium tormentorum exquisitor ciues suos coegit bibere ceruinum lac uino mixtum et sic eos affecit: quod ipse tandem a suis ciuibus bibere coactus mortuus est; confer Galeanum: *Dareus filius Milesii Daretis nouis tormentis et exquisitis ciues suos affecit, eisque lac ceruae propinans idem passus est ab eis teste Eupoli;* patet hoc, quod secundo loco traditum est, ad Galeanum redire, quamuis Eupolidis testimonium non sit receptum; in priore interpretatione alium fontem secutus esse uidetur non minus corruptum. Ad v. 469 Mure: *Procustes, filius* Hipponoi *Teleboum princeps periit cum tota familia fulminatus excepta Dexi*thoe *a qua Jupiter quadam uice fuerat hospitatus. uel aliter, pater Dexi*thoes, *id est †paua curta† contemptor deorum fulminatus.* Gal.: *Demeus filius* Hipponoi *et †Pactama pater Dexiones pro nequitia sua a dis fulminati sunt* [nomina differre nihil interest.]. ad v. 539 Mure: *Leius rex tardus cognomine dictus eo quod tarde construebat turres — per diuersa loca sparsus est, uel aliter ut legatur Cognitor et tunc intelligatur de Cinara qui cognito crimine coitus cum Mirra filia perpetrato uagus et profugus ostiatim mendicauit;* simile Gal., nisi quod de mendicando nihil traditur. Confer praeterea schol. ad v. 361.

Aliud quoque inde docemur, Conradum de Mure, ad quem a Galeano orti peruenimus, eum fuisse qui mutaret aut omitteret aut augeret ea, quae in Galeano inuenerat; sed aliis quoque locis, quibus aliquid inde haustum esse ne significatur quidem, miram non solum rei, sed etiam uerborum similitudinem reperias, tamen ita ut, sicut praemonui, auxisse aut plura affinxisse uideatur, ut ad v. 317, 335, 545.

3. DE COD. C ET ASKEWIANI SCHOLIIS.

Quid igitur mirum quod, quo grandior accrescebat materia, posteriorum scholiorum scriptores eo maiore studio anteriora in usum uocandi commoti sunt? Ac primum quidem eadem ratione qua antea demonstrabo, codicis Askewiani scriptorem non modo Galeanum et Mure respexisse, uerum etiam non nusquam utriusque interpretationem in unum collegisse; quod si ostendero, argumenta mea ad codicem quoque Coll. Corp. Chr. C pertinebunt, qui quin eiusdem generis sit atque Askewianus primo

inspiciens non dubites, ita ut de hoc fusius dicere supersedeam. ad v. 307 Ask. habet: *Magnates filius Pirri,* [*nepos Achillis,* quod omisit Ask., seruauit C] *uel ut alii* [*dicunt* seru. C] *nepos Pirri fuit. Dato sibi ueneno a matre sua Hermione quia cum ipsa adulterari noluit periit. Unde Tibullus uel Gallus: Fas leges* e. q. s. Hoc addita uel potius e uersibus afficta narratione de adulterio haustum est e Gal.: *Magnates nepos Pirri dato sibi ueneno a Hermione matre sua interiit. Unde Tibullus: Fas leges,* e. q. s.; similia apud Mure exstare uidentur. ad v. 488: *Dum Driops populus depugnaret contra † Therodomantum tirannum, Coroni † filium, uix aliquis eorum euasit quin moreretur* [*in C*]. *Aliter* [*C et Ask.*]: *Therodomas quidam tirannus fuit qui Driopas quosdam populos ad pugnam contra se prouocabat et quem poterat uincere interficiebat suspensum.* Gal.: *Thiodomas tirannus Driopes prouocauit ad bellum. ei quisquis igitur occurrebat interficiebatur ab eo.* Hic quoque, ut in transcursu hoc commoneam, uides in Ask. aucta esse, quae e prioribus usui fuerunt.

Utrumque Askewianum secutum esse haec scholia sint testimonio:

ad v. 310 Gal: *Leucon unus de Ponticis regibus Spartacum fratrem suum uolentem adulterari cum uxore sua interfecit. Unde Arion: Leucon occidit* e. q. s. Mure: *Leucon unus ex Ponticis regibus Spartacum fratrem suum prae amore uxoris eiusdem dictae Alcathoes trucidauit: a qua uxore dum cum ipsa uellet adulterari incautus occisus est. Unde quidam: Leucon* — e. q. s. Inde Ask. et C. hoc scholion confuderunt: *Leucon unus ex Ponticis regibus Spartacon fratrem suum interfecit, qui cum* [*Alcatoe* in Ask.] *uxore sua solebat adulterari. Postea idem Leucon interfectus est ab uxore sua. Unde Arion: Leucon occidit* e. q. s. Mure solum respectum esse cognoueris ex annot. ad v. 361, 621.

Saepius etiam in Ask. et maxime in C poetae testes rei explicatae afferuntur, quorum nomina neque in Gal. neque apud Mure exstant, ut ad v. 379 [Callim.], 383 [Darius], 447 [Bauciades], 451 [Gallus], 517 [Darius], et quid quod nullus codex saepius ipsum Ouidium Statiumque laudat, unde interpretationes haustas esse indicatur, Mure uero et Galeanus nunquam, nisi fallor, fontem nomine Ouidii aut Statii apposito tangunt? denique, ut hoc de codice C separatim dicam, unum

huic peculiare est neque in alio ullo reperitur, quod tribus locis exhibito scholio uerbis *sic construe* uel *construe sic* additur, quem ad modum uerba Ibidis, ad quae illud pertinet, construenda sint: ad v. 357, 418, 559.

Jam, postquam intelleximus, eos de quibus egimus codices, quamquam scholia plus minus mutata et aucta sunt nunc in ueris nunc in corruptis, tamen plurimum eosdem uersus ficticios — et quales! — communes habere, quod casu ita factum esse mihi non persuadetur, nec non, id quod grauissimum esse censeo ad rem profligandam, eodem loco apud omnes fere initium esse interpretationum, eodem omnes ultimos uersus ficticios exhibere, quid effecimus? haec est disputationis summa:

Codex Galeanus et Conradi de Mure Repertorium cum codice C et Askewiano unius generis sunt.

4. DE COD. PHILIPPICO.

Restat ut de Philippico et recensione Saluagniana pauca dicam; quorum priorem cum iam Ellisius uersuum ficticiorum solum omnium qui integra habent scholia expertem esse commemorauerit, breuis esse possum; itaque sufficiat dixisse, eum non semel alios eosque meliores fontes secutum esse uideri, etsi inter hunc et Askewianum quandam affinitatem statuendam esse cum ex aliis locis tum ex annotatione ad v. 501 patet, ubi non solum partim uerbis iisdem utitur, sed etiam corruptela nominis eadem est: Ask. et C.: †*Paphageus Epirotes cum Ambrachiam obsideret, exiuit uenatum et leaenae catulum tacitus sustulit; quem consecuta leaena uirum membratim laniauit.* Phil.: †*Paphagus Epirotes cum Ambrachiam obsideret exiuit uenatum et leaenae catulum nactus sustulit: cui leaena occurrens lacerauit eum.* In annotatione ad v. 271 in utroque corrupta nomina exstant eadem *Polidector* et *Polidophus.* Ex illa causa explicandum est, quod saepe aut meliora aliis aut solus uera praebet [uide Ell. proleg. p. LVII]; praeter hos locos diuersa ab aliis narrantur ad v. 488, 499, 591, 611; denique uno loco, quod mirum est, ad v. 459 *Hippukekores* fit mentio, quod nomen in hoc uno exstare Ellisius non recte dixit, nam ad v. 335, quo loco de eiusdem Limones morte agitur, Mure addit: „*Iste locus Athenis* †*ipothetes nominatur*“, quod ex illo uerbo Graeco corruptum esse

ipse Ellisius statuere uidetur, cum Aeschinis Tim. 182 laudet: ὁ τόπος οὗτος καλεῖται παρ' ἵππον καὶ κόραν.

5. DE RECENSIONE SALVAGNIANA.

De recensione Saluagniana, etiamsi supra cognouimus, quanta sit similitudo inter hanc et editionem Parisinam a. 1573, uel, quod nunc idem est, codicem Bernensem 711, facere non possum quin unum addam; mihi enim Ehwaldius quamuis certi ac ueri haud conscius tamen aliquid de hoc affinitatis genere suspicatus esse uidetur, cum p. 1 dicat: „Similem autem adnotationum harum recensionem codicis Bernensis scriptorem secutum esse atque eos, quos edidit Saluagnius, inde intellegitur quod et uersu incipit 177 et pauca illa quae ex eo seruauit Merkel frustula, si non uerbis eisdem, at sensu fere eodem exstant in editione, in Askewiano desunt. *Sed eum codicem ad editionem suam adhibuisse Saluagnium negem propter eam quae patet uerborum differentiam*"; hoc, quamquam differentia non est tanta, recte Ehwaldium coniecisse e disputatiuncula mea tibi persuadebis; qui est igitur ille liber, quem Saluagnium secutum esse censeamus? nempe is, quem quod Ehwaldius non inspexit uitio ei Ellisius tribuere uidetur, quamquam neque ipse, qui hunc librum in usum uocauit, intellexit, in hoc eadem contineri atque in Bernensi 711, editionem dico Parisinam a. 1573. Optime ad sententiam meam hoc quoque quadrat quod Ehwaldius dicit, Merkelii frustula si non uerbis sensu tamen eodem inesse in Saluagnianis: hoc enim eum recte dixisse inde cognoscitur quod editio Parisina, ut uidimus supra, mutata et interpolata est, ita ut gemina forma, qualem in Bernensi fuisse frustula a Merkelio seruata testimonio sunt, prorsus eadem esse non possit.

Denique ut omittam ea, quae de Saluagnianis Ehwaldius memorauit, ne quasi aquam in mare infundam, nihil nisi hoc annotetur, Saluagnianam recensionem cum codicibus Ellisianis collatam saepe alia et sibi peculiaria [ut ad v. 325, ubi de Theodosii grammatici cuiusdam regula narratur] praebere; cf. annot. ad 325, 488, 499, 507, 525, 591; mirum in modum ad v. 285 cum C, manifestius cum Gal. consentit. C. et Salu.: *Jonus rex Thessaliae filius* †*Perpeti Agrimantini*† [om. Salu.] *ultra modum potus de Ossa monte se praecipitauit [praeceps datus est, ut ait Gallus,* Saluagn.]. *Unde Gallus: Vina probo, e. q. s.* Gal.: *Jonus rex Thessaliae filius* †*Preti ultra modum potus ultra Ossam montem praecipitatus est. Unde Gallus: uina probo*, e. q. s. Duobus locis, ad v. 475 et 477, Philippicum respectum esse uideo, quos locos sis conferas.

De scholiorum fontibus, de quibus Ehwaldii et Ellisii copiosa est disputatio, nescio quid addam, quoniam constat, primum omnium fontium ipsum Ouidium, potissimum Metamorphoses, esse, aliorum uero loci, quibus scholiasta ille uetus fontibus usus est, Statius, Vergilius eorumque commentatores, deinde Hyginus, Valerius Maximus, Justinus, alii, ab utroque, maxime ab Ellisio, tanta cum diligentia congesti et collecti sunt, ut plura de hac re dicere superfluum esse iudicem. Deinde quod pertinet ad uersus ficticios, neque ego ipse cum Ellisio quidquam dicere audeo de aetate, qua eos natos esse coniicias, nam ubi de re omnino obscura nihil habemus, quod in argumentatione sequi possimus, semper melius esse arbitror tacere, quandoquidem interdum ualet illud esse etiam quandam artem nesciendi, quam exercere praestantius est quam enucleare, id quod de alia quoque re dictum uolo, quaestionem illam dico de scholiastae genere et conditione; eum enim clericum fuisse mihi Ehwaldius argumentis suis minime persuasit, nam, quamquam exempla, quibus congestis hoc demonstrare studuit, ipse augere possum [praeter *incorporare* ad v. 288, *festum prophanantes* ad v. 497, *passio* ad 549 et 615 alleges *Anius presbyter* ad v. 477 [cod. C], ad 637 [C] *Post haec omnia mala praecedentia sequatur tibi hoc pessimum, uiuere inter Getas sicut monacho intrare claustrum*], tamen non intellego, quid his locis illustretur, qui, nisi fallor, nusquam nisi in C et Ask. reperiantur; itaque non prius ei assentiar quam mihi probauerit, eos ad illum scholiastam ipsum redire, non esse referendos ad scriptores cod. C et Ask., quod, quoniam eisdem illis locis neque in Galeano neque apud Mure, qui aetate scholiastae propiores sunt, ne ullum quidem eorum uestigium est, demonstrari uix poterit; omnino uero probabilis mihi esse uidetur illa altera causa, quam huic Ehwaldii sententiae opposuit Ellisius, cum dicat [proleg. p. LXIII]: „Clericum hunc fuisse nihil indicat, nec sane uero est simile historias ab huiusmodi homine confingi obscena pleraque et pagani moris amplecten-

tis“; hanc quoque Ellisii opinionem probo, uersus maximam partem ab eodem confictos esse uideri, nam non modo tam uilia et insulsa in iis proferuntur, ut ex mea quidem sententia unius auctoris stultitiae debeantur [satis est, schol. ad v. 285 commonuisse] eiusque hominis, qui in Pegaso sedere solitus non sit, sed etiam paupertas sermonis tam conspicua est, ut non nulla iisdem uerbis iterentur, quibus aliis locis dicuntur; quod optime ex iis scholiis percipias, quibus narratur, quare hic ille necatus esse uel periisse fingitur: cf. ad v. 285 *uinaque pota nimis causa fuere necis;* ad 287 *uinum causa fuit, anguibus esca datur;* ad 293 *Scissaque membra sibi causa fuere necis;* 307 *Atque eadem uitae causa necisque fuit;* 310 *coniux et causa mortis uterque fuit;* 335 *altera causa fuit moechus et alter equs* [sic!]. Sed hoc nescio an sit feruidioris ingenii, quod, ubi de decernenda aetate scholiastae disputat, uerba [ad v. 273] *Tam male qui peccat, nec deus est nec homo* ad controuersiam Christianorum de natura Christi referenda esse contendit.

6. DE CODICE BERNENSI INEDITO 516;
DE
PETRO MARSO HUMANISTA CODICIS AUCTORE.

Quod huius capitis extrema parte mihi plenius de codice quodam huc usque inedito agere proposui, propterea factum est ut eo cum aliis comparato planius quam si de his multis uerbis disputarem uideas quod horum genus sit, quod illius, codicem dico Bernensem numero 516 signatum, quem, cum mihi in bibliotheca huius urbis praesto fuerit, inspicere ideoque cum aliis conferre contigit. Iste codex antecedente Porphyrionis commento in Horatium et Acronis scholia perpetua habet inde a fol. 262 a usque ad fol. 289 a cum hac subscriptione: PETRUS MARSUS VITERBII SCRIPSIT BONIS AVIBUS XYSTO PONTIFICE IMPERANTE ANNO SALUTIS 1472. Est igitur scriptus post renatum literarum antiquarum studium humanistae q. d. manu, de quo ut adhuc minus noto fusius disputare mihi in animo est, praesertim cum compererim, eum aliorum quoque commentariorum auctorem exstitisse.

Petrus Marsus noster natus est medio circiter XV saeculo, annus enim natalis notus non est, in oppidulo Cesa sito in ea regione, quam ueteres Marsi incoluerunt, unde ipse cognomine Marsus est appellatus [1]); qui cum puer clericorum ordini adscriptus esset, adeo auctoribus ueteribus delectabatur ut, donec uixit, non minus his tractandis et interpretandis operam nauaret quam diuino cultui exercendo, et tantopere operibus suis celeber factus est, ut Canonicus S. S. Laurentii et Damasi Romae efficeretur [2]). Magistris usus est non solum Pomponio Laeto et Argyropylo, ut multi tradunt, uerum etiam, ut ipsius uerba indicant [3]), Domitio [Calderino?], quorum primus eum ad dicendum maxime, alter ad philosophiam instituisse uidetur, nam a M. Antonio Sabellico [de *linguae latinae reparatione (Bapt. Guarini dissertatio)*] „eloquens dicitur, ut Pomponii auditorem cognoscas et, quod plus est, propemodum philosophus, sed quantuscumque in philosophia est, eum Argyropili contubernium effecit“; atque illum Pomponium Laetum adeo dilexit ut supremis eius laudibus orationem haberet, quae cum Ciceronis libris de natura deorum et de diuinatione impressa est.

Priusquam de eius libris dicam, annotatione mihi dignum esse uidetur quod sunt qui tradant [4]), Paulum Marsum, oratorem et poetam, Petri Marsi fratrem, Ouidii Fastorum grauissimum interpretem, quem cum ab aliis tum a Petro Marcellino Corradino in libro de uetere Latio imprimis saepe allegari cognoui, Piscinae in agro Neapolitano natum fuisse, quod prorsus falsum esse Corsignanus testis est, qui dicit [p. 210], Paulum Marsum, fratrem Petri, ambitionis labe infectum Piscinae se ortum fecisse in Commentariis Fastorum; „is tamen“, inquit,

---

[1]) Patriae suae ipse Petrus Marsus mentionem facit in comment. ad Sil. It. Pun. VIII 505 his uerbis: „Ideo dicit Strabo, Alba Marsis finitimum oppidulum, quod Cesas appellant indigenae, meum natale solum, quattuor milibus passuum, ab Alba distat, ad radices montis situm, in quo Dictamnum nascitur. Haec dixi, ne ingratus erga patriam uiderer meam, qua nil mihi est iucundius, nil antiquius.“

[2]) Cf. P Ant. Corsignani, de Viris illustribus Marsorum, p. 209.

[3]) Praef. ad Sil. It.: „secuti sunt [in interpr. Silii] uiri saeculorum memoria digni ac Romani eloquii sidera et clarum decus, Pomponius et Domitius, praeceptores mei.

[4]) Cum alii tum Zedler, Universal-Lexikon; Toppius, Bibliotheca Neapolitana; Gessner, Bibliotheca.

„haud Piscinae etiam in Marsis iuxta Toppium in Biblioth. Neapol., pag. 352, sed quidem in Caesis una cum supradicto Petro eius germano fratre auram uitalem hausit"; et quod Sabellicus, Petri Marsi amicus, de utroque iudicium proferens haec dicit [de l. lat. rep.]: „Age uero, num et Paulus Piscinensis cognomento Marsus parum praestitisse uideatur? qui tam significanter omnes Romanos ritus in fastorum enarratione explicat, quid in poetices apparatu dici potest, quod ille legentium oculis non subiecerit? ut ausim propemodum affirmare, plus illius lectionem quam Nasonis atque eo maiore admiratione digna, quo natura illa ad carmen multo quam ad pedestrem orationem fuit promptior: nullus nostra aetate extemporalior poeta: illius carmen est fastis insertum: ex eo datur intelligi, quantus in poetica futurus fuisset, si temperare noluisset ingenio; praestitit itaque is in communem usum aliquid, sed multo plura *eius contemporaneus Petrus Marsus Cesensis*" cum Corsignano non est legendum *contemporaneus* sed *conterraneus*, cuius rei alterum testem Franciscum Floridum Sabinum allego, qui [in *Apologia in linguae Latinae calumniatores*] haec dicit [p. 72 ed. meae]: „Scripsit in uarios auctores non ineleganter Georgius Merula Alexandrinus, non pauca Paulus Piscinensis cognomento Marsus, multo plura eius *conterraneus Petrus Marsus Cesensis.*"

Eiusdem Sabellici, rerum Venetarum illustrissimi scriptoris, duae exstant epistulae ad Petrum Marsum datae, quarum altera, quae de re literaria scripta est, postquam prior in itinere est deperdita, hoc loco ad cognoscendum familiaritatis genus afferatur:

Ep. IV, 12, M. Anto. P. Marso. Scripseram nuper iam tempus esse, ut fructum aliquem ex ista gratia et auctoritate, quae tibi Romae quaesita est, uel absens perciperem, huiusmodique persuasione fretus tecum per litteras egi, ut Permarini, hominis mihi amicissimi, negotium susciperes susceptumque, quod tuo commodo fieret, nobis confectum redderes; et iam in hanc unam expectationem erecti breui futurum arbitrabamur, ut ex tuis litteris cognosceremus, quid actum esset fuitque expectatio illa non magis longa quam uana. Non possum non suspicari, nostras litteras tabellariorum incuria sine fraude intercidisse, nam te non potuisse id perficere aut noluisse, uix crediderim, quod Deus optimus eos male perdat cum sua perfidia. Nunc ne non omnia amico praestitisse uidear, iterum scribendum duxi ac pro nostra ueteri amicitia ab humanitate tua petendum, ut, si quid unquam nostrae amicitiae datum uoluisti, hoc ipsum in praesentia uelis, ut libellus, quem amicus Pontifici maximo deferendum ad te mittit, quantum in te erit, quam primum in alterutram partem expediatur. Erit id mihi profecto tam gratum, ut nihil esse possit gratius. Te rogo per litteras nobis significes quid actum sit aut quid fieri possit et si res ad exitum perduci contigerit, quid ad uos pecuniarum mitti oporteat fac ut sciam. Vale!

Ac primum quidem commentariorum, quorum mentionem factam esse uidi, aetate primus is in lucem proditus esse uidetur, quem ad Silium Italicum scripsit; typis enim expressus est Venetiae anno 1483 [per Baptistam de Tortis, denuo a. 1492][1]); editionum omnium prima, quam Roberto Ursino, patruo Virginii, dedicauit, ut in praefatione alterius ad hunc missae fatetur, iuuenili quodam ardore, haec enim sunt eius uerba, ac primo ingenii calore effluxerat et castigationem limamque desiderabat: propterea illa se castigata et una cum poemate impressa ad eum missurum esse dicit. Deinde alius locus mihi e praefatione commemorandus esse uidetur, cum ex eo appareat, eam opinionem, quam aetate humanistarum inueteratam fuisse constat, a Petro quoque Marso probatam esse, interpreti, qui efficiat ut auctor saepe obscurus etiam a minus doctis legi possit, non minorem laudem esse tribuendam quam ei, quem interpretetur, nam non sine ulla admiratione sui haec scribit Virginio Ursino[2]), „nec nomen interpretis tamquam indecorum refugiendum est. Ausim quippe dicere fidos uerosque interpretes non minorem laudem ipsis scriptoribus mereri. Quae enim esset in poetis utilitas, nisi a studiosis intelligerentur", e. q. s.

Jam haec, quae de commentariis ad Silium Italicum modo narraui, manifesta testimonia sunt, quibus nisi intellegemus,

---

[1]) Ad sequentia conf. imprimis *Bayle, dictionnaire historique et critique*, quo libro fonte maxime usus sum.

[2]) Nescio an errauerit *Toppius*, qui in Bibl. Neap. memorat, Paulum Marsum auctorem fuisse commentariorum in Silium Italicum a. 1483 apud Baptistam de Tortis impressorum; suspicor enim eum alterum Marsum cum altero confudisse.

Petrum Marsum commentarios ad Ibin scribentem adolescentulum fuisse, nam si illam primam editionem anni 1483 iuuenili ardore scriptam esse et castigandam fuisse dicit, siue breui post comm. ad Ibin confecit, ita ut per aliquod tempus in scrinio lateret, siue confestim impressa est, colligere licet, Silii comm. post Ibidis scriptos esse; iam id quoque uix mireris, quod horum commentariorum nusquam, quod quidem sciam, mentio fit, nisi forte Joecherus [Allg. Gelehrten-Lexikon] Ouidii commentarios Ant. Constantii, P. Marsi, B. Merulae, inter eius libros enumerans Ibin complexus est, quoniam posteri commentarii adeo istas literarum primitias superauerunt, ut eorum memoria exstingueretur; tamen qui hos commentarios cum aliis, maxime cum Silii, quibus non solum aetate, sed etiam similitudine proximi sunt, contulerit, sibi persuadebit, utriusque eundem auctorem fuisse, nam non modo ne unus quidem eorum, quos ad illustrandos Ibidis uersus allegat, in comm. ad Silium deest, sed etiam unus ex omnibus, Strabo, quem potissimum laudauisse uidetur Marsus in Ibide, cuius rei testimonia infra afferentur, tam saepe in comm. ad Silium laudatur, ut saepius etiam citetur quam is auctor, quem e natura rerum explicandarum imprimis allegatum esse fortasse exspectes, Liuium dico. Ceterum, ut hoc omittam, quod bis Marsus Ibidis carminis meminit [ad I, 547 de Allia flumine; ad XIV, 41 de Cocalo], sunt duo loci in utroque libello, quibus fontem tacens Strabonem respexit; hos enim cum aliis commentariis Silianis inuestigaui, quem cum Cic. libro de natura deorum et de diuinatione in bibliotheca Bernensi inspicere mihi contigit.

ad III, 400 *emathios*] *ab Emathione rege et Hemonia ab Hemone et Thessalia a Thessalo, Hemonis filio et Nesonia a Nesone, filio Thessali et Pyrrhea a Pyrrha, Deucalionis uxore.*

Haec, quae sis conferas cum interpretatione ad Ibidis v. 284 [fol. 270b], quam cum fonte infra exscripsi, sumpta sunt e Strabonis p. 443, nisi quod nomina partim transposita sunt.

ad XIV, 267: *Amastra colonia est Ponticae regionis, ubi est Amastris urbs in peninsula, habens portus ex utraque parte, quam condidit et cui nomen dedit Amastris, Oxiartis filia, uxor Dionysii Herculanensis.*

Ad hunc locum [et ad Ibidis v. 329, uide pag. 6] conferas Strab. p. 544: Μετὰ δὴ τὸν Παρθένιον ποταμὸν ἔστιν Ἄμαστρις ὁμώνυμος τῆς συνῳκικυίας πόλις. ἵδρυται δ᾽ἐπὶ χερροννήσου λιμένας ἔχουσα τοῦ ἰσθμοῦ ἑκατέρωθεν· ἦν δ᾽ ἡ Ἄμαστρις γυνὴ μέν Διονυσίου τοῦ Ἡρακλείας τυράννου, θυγάτηρ δὲ Ὀξυάθρου τοῦ Δαρείου ἀδελφοῦ τοῦ κατὰ Ἀλέξανδρον. ἐκείνη μὲν οὖν — συνῴκισε τὴν πόλιν, κ. τ. λ.

Denique conferas hos locos non e Strabone haustos:

ad Sil. III, 38: *Thraces equi] Diomedei. Diomedes, rex Thraciae, hospites obiiciebat laniandos uorandosque equis, quos habebat efferatos. Hercules ipsum necatum propriis equis deuorandum obiecit equosque abductos mansuefecit, quorum genus usque ad Alexandrum magnum permansit.*

ad Ibidis v. 381 *Ut qui Thraciae . . .]* fol. 276a: *Diomedes Rex Thraciae equos habebat, quos humanis corporibus alebat aeneis praesepibus. Interfectus Diomedes ab Hercule datus est ipse in cibum equis, quos Junoni sacrauit Euristeus; eorum proles ad Alexandrum usque Macedonem est propagata.*

De hac propagatione nemo alius scholiasta in Ibin quidquam tradit nisi Marsus, qui utroque loco idem narrat, nisi quod de equis ab Eurystheo Junoni sacratis in comm. ad Silium nihil dicitur.

Maximam uero operam Petrus Marsus in explicandos Ciceronis libros ad res philosophicas pertinentes contulit, nam libros de officiis, de senectute, de amicitia, Paradoxon, de natura deorum, de diuinatione commentariis exornauit, qui [exceptis libris de nat. d. et de diu.] teste Joechero editi sunt Venet. a. 1481, Fol. Ven. 1498, Lugd. 1514.

E librorum de Officiis Francisco de Gonzaga cardinali dicatorum praefatione sequentia desumpta sunt, quae Marsus ad eum scribit et manifestissime non modo indicant, quanti Maecenatis sui fauorem et gratiam aestimauerit, sed etiam, qua causa commotus ad hos quos modo dixi libros Ciceronianos interpretandos aggressus sit. Haec enim sunt eius uerba [a Baylio allata]: „Ne igitur otio, quod post uarios labores et molestias sub te tandem nactus sum et melius quam mihi ipsi iam polliceri audeo, clementia tua et generoso animo fretus abuti uiderer, diu multumque cogitaui quid potissimum mihi cum decoro agendum esset, qui ab ineunte aetate sacris institutis et cerimoniis initiatus essem et addictus. Tandem id

elegi, quod meae professioni congrueret et in se plurimum honestatis haberet et utilitatis, Ciceronis officia, s. ad usum, eruditionem cultumque uitae communis instituta interpretari.“

Hos quoque commentarios non satis limatos esse censebat, ut in epistula ad Raphaelem Riarium cardinalem, ad quem alteram editionem misit, confitetur: „Cum in illis multa iuueniliter ac minus quam decuisset considerate dicta cognoscerem, celeritas namque partus effecit, ut manca quodam modo et haberentur et essent.“ Alio loco: „Ne igitur otio, quod benignitas tua mihi concessit, abuterer, id tentaui, quod eminentissimum celsitudinis tuae ingenium et supra aetatem in rebus omnibus iudicium efflagitabant; utilitatem, si quae erit in his Petri Marsi clientis tui commentariolis, amplitudini tuae debebunt adolescentes, quorum institutioni te hortante, te duce pro uiribus consulendum duxi: quod ut aliquando consequerer multa deleui, multa addidi, quae ex uberrimo Platonis et Aristotelis fonte deducta Ciceronis maiestas exposcere uidebatur“ [Baylius].

Libros III de natura deorum, quorum commentarii primum Venetiae a. 1508, denuo Basileae 1544, impressi sunt [prior editio Ludouico XII, regi Gallorum, dicata est], non minus pro re diuina ad interpretationem electos esse in praefatione testatur; postremo commemorandi sunt commentarii in Terentii comoedias, cum Pauli Malleoli annotationibus Argentorati a. 1506 [secundum Joecherum 1503], denuo Lugduni 1522, impressi.

Orationes [1]) et panegyricos, qui fere omnes ad res ecclesiasticas pertineant, enumerare supersedeo, tamen hoc addere liceat, eos non nihili aestimatos esse, cuius rei cum alia sunt testimonia tum haec disticha exstantia in editione Marsi, quae mihi praesto fuit, quibus „Poeta magister Baptista Mantuanus Carmelita“ unam ex orationibus eius celebrauit:

Aurea me genuit Petri facundia Marsi:
Sum breve, sed magnae religionis opus.
Christigenas laudo, qui non timuere cruorem
Fundere pro patriis legibus atque fide,
Regna quot amisit Christi res publica, postquam
Coeperunt nostri degenerare patres.

[1]) Illarum ea, quae Stephano cardinali Mediolanensi dicata est, prima est habita publice, ante annum 1483 [cf. Catalogum Historico-Criticum Romanarum editionum saeculi XV, I, 427.]

Quando obierit Petrus Marsus, non constat, quamquam Joecherus nescio qua causa commotus uult, eum anno 1512 esse defunctum; tamen hoc exploratum est, eum anno aetatis septuagesimo obiisse, quod significat titulus sepulcralis, quem attulerunt cum alii tum Toppius [Bibl. Neap.] his uerbis:

„Sta sepolto nella sudetta Chiesa di S. Lorenzo in Damaso, con la seguente Inscrittione reportata dallo Schradero in Monument. Ital. fol. 140 a. t.:

PETRO MARSO
Aedis huius D. Laurentii Canonico
Viro doctissimo et integerrimo
Bonorum omnium honestato uotisque expedito.
Ascanius Marsus Patruo bene merenti P.
Vix. ann. LXX Men. II.

Denique, si quaerimus, quae Petri Marsi apud literatos existimatio fuerit, mirum est quam diuersa sint de eo iudicia; nam, ut ab eius contemporaneo oriar, Sabellicus de commentariis in Silium et Ciceronis libros ita uerba facit uel potius Guarinum [de l. lat. rep.] disputantem facit: „exstant eius in Silium Italicum Commentarii multa eruditione referti, sed longe utiliora, quae in Ciceronis opera conscripsit“, e. q. s; sane in fine fatetur, in poetis explicandis et acutiores et cultiores suo iudicio alios, ut Antonium Volscum, fuisse; alius, Ludouicus Viuus [apud Gesnerum, f. 550], „Petrum Marsum in Officia Ciceronis loquacitate paene intolerabilem“ uocat; non multo minus acerbum secundum Baylium Dausqueii iudicium est: „Silium immerentem ac de fato suo maerentem conspicati tres uiri licet humani habiti suppetias ferre connixi sunt, Marsus, Modius et auctor Crepundiorum, sed aut nouis saeuiere plagis aut hiantia uulnera diduxere.“ Tamen addit: „Ignoscibilis quidem Marsi ignoratio et seculo donanda; simplicitate nocuit nec ualde.“

Sed non desunt qui melius de hoc humanista iudicent, e quorum iudiciis praeter Sabellici locum supra exscriptum Leandri Alberti uerba afferantur [apud Baylium]: „Cesa, piccolo castello, patria gia di Pietro Marso huomo molto litterato. Il quale colle sue singulari uirtuti, ha illustrato questo lungo, come chiaramente conoscere si puo dall' opere da lui lasciate e massimamente dalli Commentari fatti supra Sillio Italico“; item Corsignanus [de uiris ill. Marsorum, p. 209] eum eruditione, fama scientiis insignem uocat. Neque minorem admirationem

doctrinae suae Petrus Marsus Erasmo illi Rotterodamo iniecisse uidetur, qui in itinere in Italiam facto eum uidit atque ita de eo in quinta epistula libri XXIII refert: „Romae uidi Petrum Marsum longaeuum potius quam celebrem. Non multum aberat ab annis octoginta [quod non recte ab eo coniectum esse uides.] et florebat animus in corpore non infelici. Mihi uisus est uir probus et integer neque potui non mirari eius industriam. In tanta aetate scribebat commentarios in librum de senectute aliosque nonnullos Ciceronis libellos. Licebat in eo perspicere uestigia ueteris saeculi.“

Jam, si mihi ipsi iudicium meum proferre licet, facere non possum quin Barthium, Statii interpretem et Baylium allegem, hi enim, ex mea quidem sententia uerum soli assecuti sunt: quorum iudicium quin Tu quoque, beneuole Lector secuturus sis non est quod dubitem.

„Le tempérament, que Barthius a suivi, me paroit fort raisonnable“, dicit Baylius. „Il ne prétend pas qu'absolument les notes de Pierre Marse soient bonnes, mais seulement qu'elles méritent d'être louées en égard au tems où elles furent écrites. C'est une ingratitude et une injustice criante que de mépriser et que de blâmer des Auteurs, qui ont eu de si grands obstacles à vaincre dans un tems où les Belles Lettres ne faisoient que commencer de revivre. Le raison veut que l'on venere leurs premiers restaurateurs, quoi que leur travail ait été fort imparfait. Tels commentateurs, qui surpassent aujourd'hui Pierre Marsus, ne l'eussent pas égalé, s'ils eussent vécu de son tems. Ils ont donc mauvaise grace de l'insulter ou de le juger indigne d'être nommé. Rapportons les termes honnêtes de Barthius [ad Stat., tom. III 610, ad v. 827 libr. VI Theb.]: „Vide quae notarunt proauorum nostrorum aeno docti homines, qualium memoriam lubenter facimus ut nostris literis redintegremus; fuerunt enim optime animati et pro copia tum studiorum non male de optimis auctoribus meriti, Petrus Marsus comm. ad Terentium —, J. Sulpitius —, tenuibus ambo notis, sed etiam talia ingenia per nos posteritati denuo commendentur.“

Atque ego, ut satisfaciam tali sententiae probandae, Petri Marsi memoriam in mentes reuocandam esse censui, sed non tam uerbis, quam re. Ad negotium igitur meum rediens huius scholia ad Ibin cum aliis conferam: qua ratione si mihi contigerit demonstrare, quod mihi his extremis paginis probare in animo est, operae me pretium habiturum confido [1].

Et si scholia, quae in eius commentariis continentur, inspexeris, mox tibi eorum pretium aestimanti persuadebis, ea ab aliis plane diuersa esse; non solum enim uidebis, Petrum Marsum in ueterum scriptis et poeticis et prosaicis mirum in modum uersatum fuisse uirum doctum, sed etiam scholiorum formam, qua concepta sunt, non minus aliam esse; sed obiter, priusquam de his ipsis agam, unum praetermittere nolo, scholiorum enim, qualia in isto codice Bernensi exstant, librarium ipsum Petrum Marsum mihi non esse uideri, sed esse descripta ex eius libro, ita, ut eius subscriptio, quam addidi, una describeretur: testimonia mihi huius suspicionis complures errores sunt tales, quales nisi in describendo nasci non solent, ut uerba bis scripta, falso separata, deinde lacunae spatii uacuitate primo obtuitu conspicuae et compluria uerba complectentes fol. 263 b et 266 a et b.

Ad horum scholiorum genus cognoscendum hoc satis dictum esse uidetur, quod uersuum plane ficticiorum fere expertia sunt; equidem in tanto numero scholiorum, quae inde edenda elegi, unum inueni, cui tale quid insit, in narratione ficta de Celino et Statillo, ubi haec leguntur:

ad v. 295 *aut ut amantiaden*] fol. 271 a: *Celinus cum amaretur a statillo filio amantii, eum interfecit. non nulli uersus de hoc commemorantur, quorum duo hi* [*hii*] *sunt: Non sic agna lupos, lupus ursos, ursa leones, ut puer ignarus ueneris fugiebat amantem. Ouidius meminit in metamorphos.*

Sed hoc pro certo affirmo, in codice Petri Marsi nomina ficta Arionis, Democriti, Galli, Lucretii, Luperci, Menephronis, Propertii, nusquam exstare, quod uix mireris, nam humanistam non tam ignarum atque inscium fuisse, ut ineptas res huius generis reciperet, patet; ego enim, qui omnes locos in hoc codice contulerim, quibus Ellisius elegiacos et hexametros fictos inesse tradit, triginta tres sunt, unum illum locum, sicut dixi, inuestigaui.

Fabularum deinde ficticiarum neque ipse Marsus expers est; sed quid de eius scholiis aestimandum sit, euidentissime conspicies, si fabulas ficticias, quae in aliis codicibus narrantur, contuleris; inde intelleges, in nostro codice persaepe meliora

[1]) **Benignissime H. Hagenus me monuit, ut ea in lucem proferrem.**

contineri aut ea, quae ad uerum propius quam aliorum commenta accedant.

Primum ad v. 255, ubi de Darete uel Dareo Milesio fabula est, qui lac ceruinum bibere coactus mortuus esse fingitur, uerum noster Marsus praebet, qui de Telepho exposito et lacte ceruae nutrito rem interpretatur: habes igitur hoc scholio foedissime in aliis corrupto normam, quam secutus cognosces, quo usque partim miser ille scholiasta, partim ei, qui mutauerunt et auxerunt, fingendi et mentiendi progressi sint.

ad v. 287 iterum diuersa ab aliis traduntur, quae, nisi uera sunt habenda, tamen uero proxima sunt; nam cum in illis dicatur, Eurylochum serpentibus consumptum esse, quod filiam suam stuprare uoluisset, uide apud nostrum:

Euriali qui sc. cepit ab illo] f. 270b: *Eurialus, Rex thessaliae, qui successit thessalo. cum sacrificia inferorum neglexisset, ira Eumenidum missi angues, qui hominem deuorarunt. non nulli errantes de ione intelligunt, qui non modo aliquod supplicium passus non est, sed Eumolphi comites felicissime uicit* [1]) *mortuusque est etiam feliciter.*

Vides igitur, huius interpretis iudicium de Jonis morte cum Ellisio congruere, qui hanc fabulam suspectam quidem habet. Nam cum iste Jon, rex Thessaliae, potus de Ossa praecipitatus esse dicatur, Marsus talia exhibet:

ad v. 284 *e summa thessalus ossa*] f. 270b: *Thessalus, Rex thessaliae, a quo thessalia denominata est, ab ossa praecipitatus fuit. cuius filius Neson, pronepotes antiphus et philippus a neso nesoniam thessaliam diu appellauerunt.* [2])

ad v. 297 in libris fabula exstat talis: *Themisto, uxor Athamantis, Chionis filia Brotean maritum se infestantem ueneno interfecit. Unde Plautus: O Brotea, e. q. s.* [Gal., alii sim.].

Prorsus alia eaque uera tradit codex Marsi [ad v. 298]:

Cornigero de Joue] f. 271a: *Alexander hammonis filius uoluit haberi. corniger hammon dicitur quia ut aries colebatur. Venenatus ab Antipatro pincerna fuit iola, cuius ueneficii dicitur non inscium fuisse aristotelem, ut ait plutarchus.* [3]) *Jolae cineres olympias alexandri mater dissipauit sex annis post eius mortem, cum facinus deprehendisset. venenum erat*

[1]) Strabo, p. 383: Ἴων δὲ τοὺς μετ' Εὐμόλπου νικήσας Θρᾷκας οὕτως ηὐδοκίμησεν ὥστ' ἐπέτρεψαν αὐτῷ τὴν πολιτείαν οἱ Ἀθηναῖοι.

[2]) Strabo p. 443.

[3]) Plut., Alex. 77.

huius generis liquor quidam ex petra nonacria, qui non poterat in alio uase contineri quam in ungula equi.

ad v. 307 Gal.: *Magnates nepos Pirri dato sibi ueneno ab Hermione matre sua interiit. Unde Tibullus: Fas leges*, e. q. s.. Alia similia. Vide quid Ellisius in annotatione ad hoc scholion [p. 57] coniiciat: „Hermiones nomen superesse credo ex marginali scholio *Harmonia.* Nam ex Pyrrhi filia Nereide et Gelone orta est Harmonia, quam Themisto Syracusano nuptam missi a praetoribus interfecerunt [Liu. XXIV, 25].“ Jam confer Bernensem:

Utque nepos dicti . . .] f. 271b: *ut nepos pyrrhi. Magnetes, filius gelonis et nereidis filiae, amatus a matre turpiter, cum incestum recusasset, poculo cantaridum necatus est.* [1])

ad v. 311, ad quem ineptissima ab omnibus aliis exponuntur, haec inueni:

Sardanapalus habet] f. 272a: *Sardanapalus, anacendaraxis filius. Tricesimus a nino, ultimus rex assyriorum fuit, effeminatus et muliebribus illecebris deditus. cum acrius obsideretur, tum demum ausus uiri facinus in rogum se coniecit multis rebus pretiosissimis secum coniectis. Hic* [e] *aedificauit Anchialam paulo supra mare sitam, ubi eius monumentum exstabat inscriptum litteris Assyriorum in haec uerba: Anchialam et Tarsum uno die condidi. ede, bibe, lude.* [e] *Choerilus uero auctore strabone* [2]) *duos alios uersus fuisse testatur: „Haec habeo quae edi* [e] *quaeque exsaturata libido Hausit at illa manent multa et* e *praeclara relicta.“*

ad v. 383, ubi de Therodomante uel Therodomanto interpretes fabulantur, talia annotat Ellisius [comm. p. 131]: „certe uix alius potest esse atque is qui cum Atreo et Diomede tanquam crudelissimus coniungitur Pont. I, 2, 119 Non tibi *Theromedon* crudusque rogabitur Atreus Quique suis homines pabula fecit equis.“ Hoc nomen Theromedontis uerum esse, non Therodomanti neque Phoenodamanteos, de quo Ellisius secundo loco cogitat, testis est codex noster, qui uestigia ueri seruauit ita: *Therodamantheos*] f. 276a: *Therodamas rex Scythiae homines*

[1]) Nominum mentionem faciunt cum alii tum Paus. VI, 12, 3: Οὗτος ὁ Ἱέρων ξενίαν πρὸς Πύρρον τὸν Αἰακίδου καὶ ὁμοῦ ξενίᾳ καὶ ἐπιγαμίαν ἐποιήσατο Γέλωνι τῷ παιδὶ Νηρηΐδα ἀγαγόμενος τὴν Πύρρου.

[2]) Strabo, p. 672.

uiuos leonibus absumendos apponebat, cuius rei meminit in primo ex Ponto.

ad v. 419 *Filius ut cereris*] f. 278 a: *Dicunt Asterium fuisse filium cereris amatum ab Arneo. id adhuc nusquam legi, puto potius intelligendum de Triptolemo, cereris filio, quem constat et formosissimum et castissimum fuisse ita ut omnium illecebras et opes spreuerit.*

ad v. 447 *de fratre medusae*] f. 279 a: *Apollonius fuit filius psilei, ut alii dicunt, hilei, alexandrinus; sorores habuit medusam et argiroelem. composuit argonautica, quae cum recitasset damnata sunt a poetis atque ob eam ignominiam secessit rhodum, ubi poema castigauit ita, ut ab omnibus probaretur, et ciuitate donatus est, unde est appellatus rhodius. Callimachus Batti filius in Apollonium discipulum inuectus est, quem ibidē appellauit. quod de pentide non nulli dicunt, omnino est alienum ab historia et ueritate caret.*

De hoc Pentide uel Penthide in Galeano et apud Mure, in Salu. cum C et Ask. fabula exstat; quae narrantur in Bernensi, mirum in modum si non uerbis, re tamen eadem sunt atque in Cod. 36 Sem. Patauini [uide p. 30].

Quamquam, sicut dixi, in Bernensi fabulae exstant, quae non minus sint ficticiae aut corruptae, ut ad v. v. 293, 295, 323, 348, 352, 465, tamen hoc audeo contendere, numerum talium fabularum multo minorum esse quam in altero commentario; itaque haud difficile erit dicere, quae sit inter hunc et alios discrepantia et mutua ratio, sed quamuis quid de hac iudicandum sit, ex exemplis supra allatis colligi possit, nihilo minus alios locos afferam, quibus non solum cognoscetur, commentatorem Bernensem aliorum scholiorum accuratissimam notitiam collegisse [cf. supra ad 287, 419, 447], sed etiam eum non fuisse, ut examussim, sicut alii ante eum fecerant, reciperet, quaecumque hic illic reppererat, seu uera seu absurda, ita ut aliorum interpretationem ad quemlibet locum suae ipsius adderet, sed certis semper causis commotum aliorum explicationi ut minime probandae suam opposuisse.

ad v. 313. *Utque Jouis libyci*] f. 272 a: *Cambises Rex persidis, de quo Herodotus* [1]) *[erodotus] multa et Justinus,* [2]) *milites misit, ut aiunt, ad hammonis templum spoliandum. hi [hii] in libya harenosa ob impietatem harenarum cumulis obruti sunt. Sunt qui de psisis populis intelligant, hi [hii] enim finitimi Nasamonibus, ut Herodotus [erod.] ait* [1]) *irati austro, quod eo flante maximam fuerant passi siccitatem et frugum inopiam, sumptis armis aduersus uentum profecti sunt, sed in harenosa libya ad unum omnes deleti: Haec fabulosa historia, Nam nasamonibus finitimis bellum intulerunt cupiditate auri, quod erat in iouis Hammonis templo, a quibus superati fuerunt spoliatique omni agro et ad internecionem caesi* [e]*.*

[1]) Herod. III, 26, al. l.

[2]) Justin., I., 9, 1: Ad Ammonis quoque nobilissimum templum expugnandum exercitum mittit, qui tempestatibus et harenarum molibus oppressus interiit.

Quem dicat de Psisis, id est Psyllis, interpretantem, nescio.

ad v. 461 haec exhibentur in Bernensi:

Aut ut Cassandrae] f. 279 b: *Cassandrea [Cassandra* [e]*] olim potidia dicebatur. in macedonia sita est. Cassandrus illic tenuit imperium, qui a suis ob crudelitatem et uulneratus est et adhuc uiuus in terram defossus.*

Hanc historiam in omnibus codicibus narratam tam suspectam non esse, quam putat Ellisius, mihi persuasum est, nam, etsi dicit [comm. p. 139] non constare, qua morte hic perierit, certe testimonium exstat haud dubium, eum ui et non minus crudeliter Periandro obiisse in Plut. de sera num. uind. cap. VII: σκόπει γὰρ εἰ Διονύσιος ἐν ἀρχῇ τῆς τυραννίδος ἔδωκε δίκην, ὡς οὐδεὶς ἂν Ἑλλήνων ᾤκει Σικελίαν ἀνάστατον ὑπὸ Καρχηδονίων γενομένην, ὥσπερ οὐδ' Ἀπολλωνίαν οὐδ' Ἀνακτόριον — ᾤκουν Ἕλληνες, εἰ Περίανδρος ἐκολάσθη μὴ μετὰ πολὺν χρόνον· οἶμαι δὲ καὶ Κασσάνδρῳ γενέσθαι τῆς δίκης ἀναβολήν, ὅπως αἱ Θῆβαι συνοικῶνται πάλιν.

ad v. 463 *Aut ut Abantiades . . .*] f. 279 b: *qui de fratre Acrisii intelligunt, et ueram ignorant historiam et ueram poetae sententiam non percipiunt: loquitur enim ouidius de his [hiis], qui infantes in urnam clausi fuerunt proiecti in mare, quod non contigit fratri acrisii, sed perseo, qui una cum danae matre in urnam clausa undis expositus fuit; perseus autem dictus est Abantiades [ab antiades] Ab abante, unde erat oriundus. idem in metamorphosi* [IV, 765]: *„Moresque habitumque coloni quaerit Abantiades, i. perseus."* Videamus quid habeat Gal.: *Pretus fi. Abantis frater Acrisii, quem Perseus peremptum in mari precipitauit, quia Acrisium a regno eiecerat.* Similia C et Ask., quos respici luce clarius est.

[1]) Herod. IV, 173.

ibidem: *Lirnessius heros*] f. 279 b: *qui Lirnem nescio qnem confingunt in huius loci expositionem delyrant, nam de Thelepho intelligit, qui ut ait euripides et strabo* [1]) *testatur, cum auge matre in urnam clausus delatus ad Teuthrantem mysiae regem, a quo et eius mater in uxorem accepta est et ipse filii loco habitus. Diodorus* [2]) *dixit, non expositum fuisse undis, sed datum fuisse nautis. Dictus est autem lirnessius a lirnesso oppido, quod tenuit in Asia, nam illic habuit theben, pedasum et lirnessum, quod imperium euripilo filio moriens reliquit.*

Eos delirantes dicit, qui talia habeant, qualia in Galeano exstant, in quo etsi non de Li*r*ne, tamen de Li*g*no mentio fit. Hic quoque non est praetermittendum quod Bernensis persimilia habet atque cod. 36 Sem. Patauini, in quo non solum Euripides et Strabo testes eius rei nominantur, sed etiam Diodorus diuersa tradere dicitur; etiamque quod de tribus illis urbibus exponitur et de Eurypylo in utroque exstat et e Strabone [3]) quamuis altero quidem loco non nominato haustum est, quem Bernensis scriptor persaepe allegat.

ad v. 500 *dixerat inuicto* . . .] f. 282 a: *puto legendum inuicto, non inuito, nam quod non nulli intelligunt de lydiis puellis, quae bacchum contemnentes [contempnentes] ebriae factae se praecipitauerint e saxo, non placet; illud magis probo, quod reperio, martem amasse dicen, filiam Ibici lydii; qua cum potiri non posset [possit] et uim uellet inferre, dicitur puella tuta auxilio Dianae multa obiecisse opprobria in numen Martis; quam ob rem Mars indignatus Ibicum patrem sustulit in bello; eo dolore puella agitata se de rupe deiecit.*

Haec narratio de Lydiis puellis in Galeano exstat, de filia Ibyci in cod. Saluagnii.

ad v. 525 *Utue Lirae uates*] f. 283b: *pui de quodam poeta intelligunt, a quo puellarum nudae cohortes introducebantur,*

---

[1]) Quae traduntur ex Euripide, ex ipso Strabone desumpta esse uidentur, cf. p. 615.

[2]) Diod., IV, 33: τεκοῦσα δὲ παιδίον ἄῤῥεν ἀπέλιπε τὸ βρέφος εἴς τινας θάμνους κρύψασα· μετὰ δὲ ταῦτα Αὔγη μὲν ἀπηλλάγη μετὰ Ναυπλίου καὶ καταντήσασα τῆς Ἀργείας εἰς τὸν ἐν Ναυπλίᾳ λιμένα παραδόξου σωτηρίας ἔτυχεν. ὁ γὰρ Ναύπλιος καταποντίσαι μὲν αὐτὴν κατὰ τὰς ἐντολὰς οὐκ ἔκρινε, ξένοις δέ τισι Καρσὶν ἀναγομένοις εἰς τὴν Ἀσίαν δωρήσασθαι, κ. τ. λ. Recte igitur scriptor Bernensis haec reddidit, minus accurate Cod. Sem. Pat., qui hospiti traditos eos esse dicit, ut deferrentur et exponerentur, qua de re nihil illic legitur.

[3]) Strabo p. 584.

extincto ictu sagittae uenenatae mihi non probantur, praesertim cum constet, Aristonem, Chium poetam tragicum, dum carmina meditaretur et frondes arboris excuteret, serpentis dente ictum cecidisse, de quo Ouidius hoc loco intelligit. Quintilianus [1]) *nullam Aristonis fecit mentionem inter tragicos, nam de primis tantum dixit, qui [tantum* rep.] *primas partes obtinuerunt, Aeschylo [eschylo], Euripide, Sophocle: omne genus scripti grauitate tragoedia* [e] *uincit.* [2])

Cum alios tum C et Ask. intellegere uidetur, qui sane haec habent: *Lycofrenus*† *quidam poeta fuit, qui, dum comoediam suam in scena recitabat, puras, i. nudas, puerorum et puellarum cohortes repraesentebat, et quendam* nimis *acriter reprehendebat, qui* eum in *ipsa recitatione cum sagitta in manu dextra uulnerauit: unde sic emittendo sanguinem periit, teste Gallo.*

ad v. 561 *Nec tibi si quid amas* . . . .] f. 285 a: *Sunt qui de laudamia intelligunt, uxore protesilai, quae uirum a se unice amatum in bello Troiano amisit, quod nullo pacto intelligendum est, neque enim poeta laudamiam feminam cum ibide comparasset, praesertim* [e] *cum altero uersu de machareo faciat mentionem, illud potius intelligas, quod fabulae habent, Haemonem* [e] *fratrem rhodopes, reginae thessaliae incestum [in cestum] cum sorore commisisse, ob quod facinus ambo in montes fuerunt conuersi, Haemum* [e] *scilicet et rhodopen.*

Idem ad hoc scholion Ellisius annotat: „Mire errant C et Ask. de Laodamia Haemonide interpretantes."

ad v. 567 *Ossibus inque tuis* . . .] f. 285 b: *Ulixem non fuisse interfectum apud homerum inuenio in pugna illa procorum, sed thelemachum tantum uulneratum una cum eumaeo* [e]. *Historia uero habet quod ab Homero non est scriptum, sed traditum ab aliis, Thelegonum filium ulixis et circes telo uenenato patrem necasse.*

Quamquam non ipsa pugna, tamen ab amicis procorum Ulixem interfectum esse interpretatur Galeanus.

---

[1]) Aristonis inter oratores mentionem his uerbis facit Quint. II. 15, 19: Qui uero non omnia subiiciebant oratori, sollicitius ac uerbosius, ut necesse erat, adhibuerunt discrimina, quorum fuit Ariston, Critolai Peripatetici discipulus.

[2]) Tragicum huius nominis a Diog. Laert. LII 164 memorari monet Ellisius, qui ipse illum Chium intellegi posse coniecit.

ad v. 633 *Cliciadaeue*[e] *modo* . . . .] f. 288 b: *Sunt qui de persico quodam intelligant filio cliciae*[e]*, qui ob thesaurum quem ingentem possidebat ab inimicis est domi combustus. Alii de Alcibiade Cliciae filio Atheniensi, cuius historia satis huic leto uidetur conuenire: lege fabulam filii cliciae, amicae Solis, qui cum infans natus est paternis radiis dicitur extinctus.*

De Persico Cliniae filio rem explicant omnes codices; ceterum secundum Ellisii in hunc locum annotationem uera interpretatio de Alcibiade etiam in Cod. Sem. Patau. exstat; in uniuersum hunc codicem Bernensi similem esse et cum eo facere alii loci testantur, e quibus hos affero:

ad v. 329 *Aut ut Amastriacis* . . . .] f. 273 a: *Lemneus Rex Amastriacorum in ponto a Mithridate eiectus est in peninsulam, quae dromos Achillis uocatur, C et XXV milium passuum, longitudinis octoginta [octuag.] milium, ut scribit Agrippa.*[1]) *ibi nudis [nudibus] custodibus adhibitis uitam ducere est coactus. Amastris autem in ponto est, unde populi Amastriaci, dicta ab Amastri uxore dionysii, oxiartis filia. illius peninsulae, de qua supra diximus, longam mentionem fecit dionysius halicarnasseus [al.] de situ orbis, qui expositus est ab Eustathio.*[2])

De hoc dromo Achillis nisi in Reg. 2061 et Pal. 1709, quo usque mihi huius rei notitiam colligere potui [de cod. Sem. Pat. nihil apud Ellisium memoratur.], mentionem factam non esse uideo.

Denique conferas hos locos:

Cod. 36 Sem. Pat. ad v. 411: *Cercion, ut Isocrates scribit, quum apud templum Cereris Eleusinae peregrinos necaret, a*

[1]) Haec mihi interpres in commentarios transtulisse uidetur e Plinii N. H., IV. 26: Rursus in litore portus Achaeorum, insula Achillis, tumulo eius uiri clara et ab ea CXXV milibus p. peninsula ad formam gladii in transuersum porrecta, exercitatione eiusdem cognominata dromos Achillis, cuius longitudinem LXXX milium p. tradit Agrippa. Cf. Pomp. Melae l. II, 1: Achilles infesta classe mare Ponticum ingressus ibi ludicro certamine celebrasse uictoriam et cum ab armis quies erat, se ac suos cursu exercitauisse memoratur, ideo dicta est δρόμος Ἀχιλλέως. Strabo, p. 307.

[2]) Dionysium Periegetam cum Halicarnasseo confudit interpres. Ad illum enim haec leguntur apud Eustath. LXXXIII: Ex aduerso Borysthenis, fluuii septentrionalis, qui ad sinistram ponti Euxini in eum euoluitur, posita in alto est insula Heroum percelebris, Achilli sacra; ubi etiam e regione is, de quo diximus supra, Dromos Achilleus, ita ab Achille denominatus. Hanc autem insulam uocari ait Leucen, seu Albam —. Ibi uero, inquit, fama est, et Achillis et heroum animas desertas per ualles uersari. Itaque Heroum insula dicitur insula haec Leuce.

Theseo occisus est, ut Ouidius etiam in Met. „Cercyonis letum uidit Cerealis Eleusin [VII, 439.]“, cet.

Bernensis [f. 278 a]: *De cercione intelligit, qui a theseo apud templum cereris Eleusinae [hel.] interfectus est, cum ille peregrinos necaret, auctor est idem poeta in Metamorphosi. „Cercionis letum uidit Cerealis Eleusin.“*

ad v. 494 cod. Sem. Pat.: *Historia haec est de Theombroto Ambraciota, de quo Cicero in Tusculanis Quaestionibus facit mentionem et Lactantius in Quaestionibus Diuinis* [III, 18]: *qui lecto Platonis de immortalitate animae saepius libro ubi inducitur Socrates, se de saxo praecipitem dedit, multo melius futurum credens mori quam uiuere.*

Bernensis [f. 281 b]: *Miror qui profitetur expositionem ibidis fateri [fatetur* m. p.] *hoc ignorare et se nunquam legisse, quis ille fuerit, de quo hoc loco sit intelligendum, cum apud ciceronem*[1]) *in tusculano et apud lactantium*[2]) *in diuinis institutionibus exstat historia de Teobroto Ambraciote, de quo etiam conscriptum [cum scriptum] est a Callimacho nobile epigramma: is enim lecto libro platonis de animorum immortalitate se e saxo deiecit.*

Talem interpretationem secundum Ellisium praeterea duo Vaticani, Pal. 1709 et Reg. 2061 habent, in quibus ut in cod. Pat. et Bern. *Theobrotus [Teobr.* Bern.] legitur.

Uno loco mihi scriptor cod. Pat. cum aliis tum Bernensis sua opponere uidetur. cum dicat ad v. 523 *Utque parum stabili] Anaxandrides, non Meuius, ut multi retulerunt,* cet. Inter hos multos enim Bernensis est [f. 283 b]: *Meuius, cuius meminit Virg.* [ecl. III, 90], *poeta fuit, qui scripsit athenarum laudes adeo inepte, ut athenienses eum inedia perire coegerint.*

Etiamsi hi loci sufficiunt, ut inde alterum illud, quod supra commemoraui, perspicias, Bernensis auctorem in literis Graecis et Latinis eo usque uersatum fuisse ut statim tibi persuadeas, eius doctrinam humanistae esse, tamen aliis augeantur; primum enim commonere uolo, interpretem, id quod supra iam cognouisti,

[1]) Cic. Tusc. I, 34, 84: Callimachi quidem epigramma [ep. 24] in Ambraciotam Cleombrotum est, quem ait, cum ei nihil accidisset aduersi, e muro se in mare abiecisse lecto Platonis libro.

[2]) Lact. Diu. Inst. III, 18: qui [Cleombr.] cum eundem librum [de immort. an. Plat.] perlegisset, praecipitem se dedit, nullam aliam ob causam quam quod Platoni credidit.

permultis locis siue nominatim siue nomine non addito Strabonem secutum esse, quem in uniuersum primarium eius fontem fuisse censeo, deinde Plutarchum, Diodorum, Apollonium Rhodium, alios.

ad v. 325 *Utque Milo . . .*] f. 273a: *Milo tyrannus pisae, in qua olim regnauerunt enomaus, pelops et salmoneus. cum suos uariis afficeret suppliciis, in aquis suffocatus est, ut alii dicunt, in mari, ut Alii in fonte pisa, qui nunc besa appellatur, a quo fonte pisa urbs nomen accepit, quamuis Stesichorus scribat, pisam esse regionem, urbem neget: Milo pisanus tyrannus, qui iacta hasta in filiam pyrrhi in furorem uersus est.* [1])

Quamquam quod narratur, Milonem tyrannum Pisae fuisse, nusquam traditur, tamen interpreti de Milone interfectore filiae Pyrrhi regis uersum Ouidianum intellegenti prorsus assentior: respexisse uidetur Justin. XXVIII, 3, 4 sq.: *cum ex gente regia sola Nereis uirgo cum Laudamia sorore superesset, Nereis nubit Geloni, Siciliae regis filio. Laudamia autem, cum in aram Dianae confugisset, concursu populi interficitur — Miloque Laudamiae percussor in furorem uersus, nunc ferro nunc saxo, in summa dentibus laceratis uisceribus duodecima die interiit.*

Strabonem nominatim allegat:

ad v. 345 *Utque dryantidae . . .*] f. 274 a: *Lycurgi tres fuerunt: lycurgus legum lator apud Lacedaemonios* [e], *lycurgus rerum scriptor, quo teste utitur saepe strabo, Lycurgus, Rex Thraciae [trhaciae], cuius meminit homerus* [2]) *et noster. is filius fuit Driantei; cum in Bacchi contemptu uites succideret, secures in eius crura conuersa sunt.*

Quod hic dicitur de Lycurgo rerum scriptore, manifestus error est. [3])

ad v. 541 *Vati quod fecit achaeo* [e]] f. 284b: *Achaeus* [e] *Xuthi filius et filiae erictonii, ut auctor est strabo* [p. 383], *cum*

[1]) Strabo p. 356 οἱ μὲν γὰρ [Πισᾶτιν ἐτυμολ.] ἀπὸ Πίσης ὁμωνύμου τῇ κρήνῃ πόλεως, τὴν δὲ κρήνην Πῖσαν εἰρῆσθαι, οἷον πίστραν [cf. Dion. Per. apud Eustath., c. LVII], ὅπερ ἐστὶ ποτίστρα —, τινὲς δὲ πόλιν μὲν οὐδεμίαν γεγονέναι Πῖσαν φασίν [εἶναι γὰρ ἂν μίαν τῶν ὀκτώ], κρήνην δὲ μόνην, ἣν νῦν καλεῖσθαι Βῖσαν —, Στησίχορον δὲ καλεῖν πόλιν τὴν χώραν Πῖσαν λεγομένην, κ. τ. λ.

[2]) Il., VII, 142 sq.

[3]) Strabo, p. 601.

inuitus parentes necasset, aufugit in Laconicam. Achaeus [e] *item poeta fuit, qui aculeis apum oculos amisit. de hoc loquitur Ouidius.*

ad v. 555 *potniadum subeas . . .*] f. 284b: *Glauci tres fuerunt. [ferunt] de uno mentionem fecit Ouidius in metamorphosi* [XIII, 904], *de duobus strabo* [1]), *de tertio licophron* [2]). *glaucus, de quo nunc loquitur, mentionem facit strabo, inter potniam et dircen fontes thebarum equarum furore dilaceratus est; Unde potniades appellatur a fonte potnia. Glaucus, de quo poetae mentionem faciunt, apud Anthedonem ciuitatem Boeotiae [boetie] in balenam conuersus fuit; papinius in siluis* [III, 2, 38], *„patriis quotiens allabitur oris, Litoream blanda feriens Anthedona cauda."*

Justinus, Plutarchus, Diodorus praeter allatos locos his fontes fuerunt:

ad v. 301 *Aut ut achilleiden*] f. 271b: *pyrrhus epirotarum rex fugatus ex italia a romanis, deinde a spartanis propulsatus est. se contulit argos ad obsidendum antigonum, ubi a muliere [mulere] iacta tegula necatus est. Tegula, ut plutarchus,* [3]) *saxo, ut Trogus pompeius* [4]). *Restitutum cadauer heleno filio, a quo [aquo] relatum est in Ambraciam auitam, ubi iacuit insepultum irato populo.*

ad v. 265 *Quo praecipiente columba*] f. 269a: *Apud latinum neminem inuenio datum fuisse a phineo columbam argonautis nauigationis ducem, quamuis id breuiter dictum sit a propertio* [II, 26, 40] *„ignoto missa columba mari", quod miror praetermissum esse a ualerio flacco: unus Apollonius rhodius* [II, 179 sq.] *scribit, phineum praedicentem cursum argonautis monuisse ut ad cyaneas columbam sequerentur, quam missuri erant dii. Scribit praeterea, tum cum argonautae discessuri essent, ex ponto illis apparuisse Augurium accipitris insectantis columbam, quae decidit in sinu Jasonis Mopsusque uaticinatus prosperam fore nauigationem; sed quae sequuntur [secuntur], ex historia. phineus Cleopanem uel cleopatram filiam orithiiae uxorem habuit. ex ea suscepit filios. Idem superduxit filiam*

[1]) ib. p. 409.

[2]) Lykophron Cass. 754: ἀστῷ σύνοικος Θρᾳκίας Ἀνθήδονος ἔσται.

[3]) Plut., Pyrrhus, 34 sq.

[4]) Justin., XXV, 5, 1: Repulsus a Spartanis Pyrrhus Argos petiit. ibi, dum Antigonum in urbe clausum expugnare conatur, inter confertissimos uiolentissime dimicans *saxo* de muris *ictus* occiditur.

dardani regis scytharum, cui in matris gratiam filii uim intulerunt: indignatus phineus uolebat eos affici supplicio, quo tempore Argonautae illuc nauem appulerunt. filii phinei implorauerunt ab iis, quem Argonautae hortati sunt ut filios supplicio liberaret. quod cum ille recusaret, Calais et Zetus filii Boreae iuncti necessitudine cum filiis phinei prouocauerunt ad certamen et phineum et barbaros, in qua pugna hercules pugnans fortissime inter primos phineum multosque barbaros interfecit, filiis regnum paternum restituit. Testis est Diodorus.[1]

ad v. 503 *Quique licurgiaden*] f. 282b: *Licurgus fratrem habuit Buten Teste diodoro,*[2] *filium eisdem nominis, qui cum fugeret in uenatione impetum apri in arboremque ascendisset, inde a belua necatus: ideo poeta eum ab arbore natum dicit, ac si filius arboris fuisset.*

Apollonium Rhodium citat interpres

ad v. 504 *Idmonaque audacem*] ib.: *de hoc faciunt mentionem cum alii latini, qui scribunt argonautica*[3] *tum apollonius*[4] *apud gr[e]aecos, qui scribit, Idmonem fuisse uatem argiuum, ultimum autem conuenisse in nauem Jasoniam, quoniam per augurium perceperat se in eo cursu periturum; is eodem Auctore in Bithynia* [*bithinniam*] *ab apro est dilaniatus. audacem*] *quamuis non ignarum futurae necis ruentem in ultimum discrimen.*

Denique recte Plinius et Theocritus, Herodotus, Plautus iuncti allegantur.

ad v. 361 *Filia neue magis* ...] f. 275a: *pterela Rex dum aduersus creontem regem thebarum pugnaret, polidices filiae proditione necatus est ab Amphitrione, quam historiam in fabulam suam traduxit plautus „is regem pterelam sua detruncat manu"* [Plaut. Amphitr. 252]. *Nysus filiam habuit Scyllam, ut est apud Ouidium* [Met. VIII, 90], *a qua [aqua] proditus est. Altera Scylla conuersa est in monstrum in Sicilia, cuius pater Cratis amnis fuisse fertur, unde Crateis dicitur:*

---

1) Diod., IV, 43 sq.

2) Diod. V, 4.

3) Valerius Flacc. I, 229; I, 360 sq.; V, 2 sq.

4) Apoll. Rhod I, 139 sq.; ib. I, 443, 4; cf. II, 815 sq.

Huius meminit Herodotus[1] [*erod.*] *et plinius*[2] *et Theocritus*[3] *in quadam ecloga* [*egloga*].

Ex omnibus his exemplis, ut supra monui, duas res discimus:

1. *Bernensis conditionem ab aliorum codicum prorsus diuersam esse. id concludo inde a) quod uersibus ficticiis tam ineptis praeter unum illum initio allatum eget; b) quod numerus etiam scholiorum ficticiorum multo minor est*[4], *ita ut, etiamsi hic illic scholion fictum esse uideatur, non semel aut ueri uestigia insint aut res ad uerum propius accedant quam in aliis; c) quod auctores testes rei explicatae iique iure laudantur, quos in aliis frustra quaesiueris*[5]; *d) quod acri iudicio interpres noster aliorum interpretationes ut recte repudiandas percensere solet.*
2. *Codici Patauino*[6] *nostrum ab aliis plane diuersum persimilem esse, quoniam ea, quae de Bernensi modo dixi, si quidem e scholiorum numero inde ab Ellisio allato iudicare licet, ad hunc quoque quadrant.*

Itaque e tota disputatione sequitur

I. Scholiorum codicem Bernensem 516 adhuc ineditum, etiamsi scholia ficticia non desunt, praestantia omnes alios, in quibus perpetua scholia continentur, superare;

II. Bernensem proxime ad cod. Sem. Pat. 36 accedere.

FINIS.

---

1) Herod. I, 145: ἐν τῇ Κρᾶθις ποταμὸς ἀένναός ἐστι, ἀπ' ὅτου ὁ ἐν Ἰταλίῃ ποταμὸς τὸ οὔνομα ἔσχε [cf. V, 45].

2) Plinius N. H., III, 10: in peninsula fluuius Acheron, a quo oppidani Acherontini —, oppidum Scyllaeum, Crateis fluuius, mater [ut dixere] Scyllae.

3) Theocr. V, 16: ... ἢ κατὰ τήνας τᾶς πέτρας, ὤνθρωπε, μανεὶς εἰς Κρᾶθιν ἁλοίμαν. Cf. Verg. Ciris 66: Ipsi seu Lamiae mater sit siue Crateis. Hesych. ad u. κραταιίς; Schol. ad Apoll. Rhod., IV. 828.

4) Unius loci memini, quo e ueteribus, id est notis, unus, Philippicus, meliorem habeat interpretationem ipso Bernensi, de fabula Phoenicis caecati.

5) Semel scholiasta Ciceronis [de off. II, 7, 25] testimonio utitur.

6) De aliis Italicis codicibus pro exigua copia scholiorum nihil decernere ausim; ceterum uix opus est dicere, me in eo, quod iudicaturus sum, nullam nisi eam materiam in usum uocare potuisse, quae mihi ex Ellisii editione praesto fuit.

VITA AUCTORIS.

Natus sum Albertus Maag Buelacensis Idibus Juniis anni MDCCCLXII Bernae patre Salomone, matre Catharina e gente Blum. Postquam in ludis publicis literarum rudimentis imbutus sum, ineunte XVImo aetatis anno in tertium ordinem gymnasii huius urbis receptus sum, in quo primum animus meus ad linguam Graecam et Latinam conuerti coepit, quibus inde a pueritia plus delectabar quam omnibus aliis disciplinis, quibus gymnasii alumni institui solent.

Itaque ineunte auctumno anni LXXXI maturitatis testimonio quod dicitur instructus ciuibus uniuersitatis literariae Bernensis adscriptus sum, ut totum philologiae studio me dederem. Peractis quattuor semestribus, quorum extremo non solum honorem magistri, quem lingua nostra appellamus „Secundarlehrer", sed etiam dignitatem senioris q. d. seminarii philologici nactus sum, Lipsiam me contuli, ubi Virr. Ill. Langii, Curtii, Ribbeckii, Ouerbeckii, A. Ecksteinii scholis interfui, quorum primi duo seminarii philologici Reg. tum rectores fuerunt. Proximo semestri aestiuo a. LXXXIV Monachium profectus sum, ut uniuersitatem Ludouico-Maximilianeam frequentarem: quam maximas ago gratias praeceptoribus, Christio, Woelfflinio, Brunnio, quorum liberalitate mihi exercitationibus et philologicis et archaeologicis interesse contigit, quae moderante Brunnio in glyptotheca et pinacotheca uetere haberi solebant, nec non societatis philologicae fui sodalis. Exacto semestri, postquam iter per Germaniam meridionalem feci, domum redux factus sum, ut studiorum finem facerem. Hoc igitur loco occasione oblata mihi liceat, cum omnibus Illustrissimis Viris, quorum eruditione per triennium fructus sum, Hirzelio, Vettero, Hidbero, Sternio, Heblero, tum maxime Hageno et Hitzigio praeceptoribus de me optime meritis eas quas debeo gratias agam publice.

Dabam Bernae Nonis Martiis MDCCCLXXXV.

ERRATA.

pag.	23	pro	*sunt XIII*	legendum	est	*sunt XIV*
„	24	„	*quorum multos*	„	„	*quorum multi*
„	31	„	tale indicium	„	„	*tale iudicium*
„	32	„	*euryalus i. f. q. filia st.*	„	„	*euryalus i. f. q. filiam st.*
„	40	„	gemina forma	„	„	*genuina forma*

VITA AUCTORIS.

Natus sum Albertus Maag Buelacensis Idibus Juniis anni MDCCCLXII Bernae patre Salomone, matre Catharina e gente Blum. Postquam in ludis publicis literarum rudimentis imbutus sum, ineunte XVI^ae aetatis anno in tertium ordinem gymnasii huius urbis receptus sum, in quo primum animus meus ad linguam Graecam et Latinam conuerti coepit, quibus inde a pueritia plus delectabar quam omnibus aliis disciplinis, quibus gymnasii alumni institui solent.

Itaque ineunte auctumno anni LXXXI maturitatis testimonio quod dicitur instructus ciuibus uniuersitatis literariae Bernensis adscriptus sum, ut totum philologiae studio me dederem. Peractis quattuor semestribus, quorum extremo non solum honorem magistri, quem lingua nostra appellamus „Secundarlehrer“, sed etiam dignitatem senioris q. d. seminarii philologici nactus sum, Lipsiam me contuli, ubi Virr. Ill. Langii, Curtii, Ribbeckii, Ouerbeckii, A. Eksteinii scholis interfui, quorum primi duo seminarii philologici Reg. tum rectores fuerunt. Proximo semestri aestiuo a. LXXXIV Monachium protectus sum, ut uniuersitatem Ludouico-Maximilianeam frequentarem: quam maximas ago gratias praeceptoribus, Christio, Woelfflinio, Brunnio, quorum liberalitate mihi exercitationibus et philologicis et archaeologicis interesse contigit, quae moderante Brunnio in glyptotheca et pinacotheca uetere haberi solebant, nec non societatis philologicae fui sodalis. Exacto semestri, postquam iter per Germaniam meridionalem feci, domum redux factus sum, ut studiorum finem facerem. Hoc igitur loco occasione oblata mihi liceat, cum omnibus Illustrissimis Viris, quorum eruditione per triennium fructus sum, Hirzelio, Vettero, Hidbero, Sternio, Heblero, tum maxime Hageno et Hitzigio praeceptoribus de me optime meritis eas quas debeo gratias agam publice.

Dabam Bernae Nonis Martiis MDCCCLXXXV.

ERRATA.

pag.	23	pro	*sunt XIII*	legendum	est	*sunt XIV*
„	24	„	*quorum multos*	„	„	*quorum multi*
„	31	„	tale indicium	„	„	*tale iudicium*
„	32	„	*euryalus i. f. q. filia st.*	„	„	*euryalus i. f. q. filiam st.*
„	40	„	gemina forma	„	„	*genuina forma*

